53

Homicrona et excōm Sem. 1?. Sixti 11: et Julij 3l.
contra Seneor

32
8 II
10

MONITORIA ET DECLARATIONES EXCOMMVNICATIONIS

contra Venetos promulgatæ

A CLEMEMTE V. SIXTO IIII. ET IVLIO II. ROMANIS PONTIFICIBVS.

ROMAE
Ex Typographia Vaticana.
Anno MDCVI.

Clementis V. Monitorium & excommunicatio contra Venetos.

Abſolutio à præfata excommunicatione.

Indultum, quo confirmat & conualidat collationes & prouiſiones beneficiorum Eccleſiaſticorum factas durante excommunicatione & interdicto etiam in perſonas irregularitate ligatas.

Sixti IIII. Monitorium & excommunicatio contra Venetos.

Declaratio contra eoſdem, qui ab eius monitorio appellauerant ad futurum Concilium.

Iulij II. Monitorium & excommunicatio contra Venetos.

Declaratio contra eoſdem, qui ab eius monitorio appellauerant ad futurum Concilium.

Mandata Reipublicæ Venetæ ad petendum abſolutionem à Iulio II. & Capitula ab eius Oratoribus confirmata & promiſſa.

Ordo à Iulio II. ſeruatus in abſolutione Venetorum.

CLEMENTIS PAPAE V.

Monitorium, & declaratio Excommunicationis, Interdicti, & aliarum pœnarum Eccleſiaſticarum contra Venetos, qui ciuitatem Ferrarienſem, & eius Comitatum hoſtiliter inuaſerant & occupauerant.

Et Abſolutio à prædicta excommunicatione & alijs cenſuris, per præfatum Pontificem eiſdem Venetis conceſſa.

ROMAE
Ex Typographia Vaticana.
Anno MDCVI.

CLEMENS EPISCOPVS
SERVVS SERVORVM DEI
Ad futuram rei memoriam.

IN omnem terram vocis Apoſtolicæ ſonus egreditur, vt clamor patris à filijs audiatur, & ad ſtuporem patratorum exceſſuum, cunctorum corda fidelium excitentur. In voce quidem virtutis Altiſſimi vocauimus populum noſtrum ex Aegypto, vt colonus eſſet nobis, & Aſſur abſque vlla cauſa calumniatus eſt eum: populum Ferrarienſem, populum peculiarem, populum antiquæ acquiſitionis matris Eccleſiæ, & populum in ſacrario pectoris Apoſtolici præ dilectione nimia recumbentem, flagellis attritum, ſcorpionibus cæſum, & dura ſeruitute afflictum, quaſi nouam prolem Dominicam de manu fortiorum more pij patris vocauimus, vt de iugo ſeruitutis ereptus, de lacu miſeriæ & de luto fæcis, noſtræ virtutis miniſterio liberatus, eamdem Eccleſiam ſicut matrem & dominam coleret, ſub alarum ipſius velamine quieſceret, & libertatis perpetuæ gloria potiretur. Sed Dux, Conſilium, & Commune Venetiarum, quos ſemper Romana mater Eccleſia dilexit vt filios, & multis priuilegijs & gratijs inſigniuit, in Aſſur calumniam aſſurgentes, & oſtendentes ſuæ indignationis baculũ contra eam, virgamq. ſui furoris eleuantes deteſtandis auſibus ſupra mare ipſum, in vocatione qua ſunt per eamdem Deo miſerante vocati, permanere non ſuſtinent, quinimmo elationis ſuæ currum damnabiliter aſcendentes, eumdem populum opprobrijs nituntur afficere priſtinæ ſeruitutis, ignorantes forte, quòd eſt, nec eſſe deſijt, qui proiecit in mare currum & exercitum Pharaonis. Sane vt noſtra & Eccleſiæ Romanæ iuſtitia, & Venetorum inſolentia & iniuſtitia pateat euidentius, vniuerſis facti ſeriem duximus præſentibus breuiter inſerendam. Eſt enim certo certius, quòd ciuitas Ferrarienſis cum ſuo Comitatu & Diſtrictu, & omnimoda iuriſdictione ac iuribus & pertinentijs, ad ius & proprietatem Eccleſiæ Romanæ in temporalibus pertinet, & pertinuit ab antiquo, licet tyrannica rabies Ciuitatem ipſam, Comitatum, Territorium, Diſtrictum & habitatores eiuſdem aliquibus temporibus oppreſſerit violenter, qua perſecutione Deo, cuius eſſet negotiũ, inſpirante, ceſſante, eadẽ Romana Eccleſia fuit in poſſeſſione, vel quaſi pacifica & quieta: ſed ab octo menſibus circa principiũ menſis Aprilis vel circa inceperunt nos & Eccleſiam Romanam in poſſeſſione antiqua prædictorũ indebite moleſtare, & temere impedire. Et quia dilectus filius Arnaldus Abbas Monaſterij Tutellenſis, diœceſis Lemouicenſis, & magiſter Honuphrius Eccleſię Meldenſis Decanus, Cappellani noſtri, &

Nuntij ad partes illas à nobis & Eccleſia Romana propter hoc ſpecialiter deſtinati, Ciuitatē, Comitatum, & Diſtrictū prædictos ſub noſtro & Eccleſiæ Romanæ dominio in temporalibus, plenarie, quiete & pacifice poſſidebant tempore quo dicti Veneti præfatum impedimentum præſtiterunt, & inter cetera ex ſuperabundanti coram prædictis Nuntijs populus vniuerſus prædictorum Ciuitatis, Comitatus atque Diſtrictus pluries & publice recognouit illos ad ius & proprietatem Eccleſiæ Romanæ in temporalibus pertinere, eamdem Ciuitatē fore Eccleſiæ Romanæ Cameram ſpecialem, ad inſtantiam populi ſupradicti Poteſtates & Capitaneos in dicta Ciuitate nomine noſtro & Eccleſiæ Romanæ præfati Nuntij ponebant prout & quando eis expediens videbatur, & tam prædicti Poteſtates & Capitanei, quàm Antiani Conſilij, ceteriq. officiales Ciuitatis eiuſdem, quando denuo mutabantur, ipſis Nuntijs nomine noſtro & Eccleſiæ Romanæ recipientibus, iurabant officium ſuum ad mandatum ipſorum bene & fideliter exercere: Claues quoque dictæ Ciuitatis dictis Nuntijs noſtro & Eccleſiæ Romanæ nomine recipientibus tradebantur, qui eas commendabant certis perſonis, quæ ipſas nomine noſtro & Eccleſiæ Romanæ cuſtodirent ad mandatum & voluntatem noſtram, ſeu Nuntiorum ipſorū: Imponebant etiam dicti Nuntij, nomine quo ſupra, Cuſtodes in portis Ciuitatis eiuſdem: per bullatas litteras ipſorum Nuntiorum in Ciuitatem ipſam intrabant homines, & exibant: Sindicus inſuper Ciuitatis ipſius ad hoc ſpecialiter conſtitutus præſtitit dictis Nuntijs nomine noſtro & eiuſdem Eccleſiæ recipientibus, fidelitatis debitæ iuramentum: & idem fecit maius Conſilium, quod fuit quingentorum hominum: capita quoque ſocietatum, & quilibet de ſocietate, ſicq. omnes de Ciuitate dictis Nuntijs noſtris nomine quo ſupra recipientibus, iuramentum ſimile præſtiterunt. Ponebant etiam præfati Nuntij noſtri nomine noſtro & Eccleſiæ Romanæ Poteſtates in Maſſa Fiſcalia, & alijs locis Comitatus, ſeu Diſtrictus prædicti, & edicta banniri & proponi faciebant nomine quo ſupra per Ciuitatem eamdem, & de appellationum cauſis ad eos interpoſitarum, à Poteſtate dictæ Ciuitatis noſtro & Eccleſiæ Romanæ nomine cognoſcebant: in Conſilijs dictæ Ciuitatis præfati Nuntij prout & quando eis placebat erant præſentes, & definitio Conſilij fiebat ipſis præſentibus, & ordinabant ipſi nomine noſtro & Eccleſiæ Romanæ prout ipſis expediens & rationi conſonum videbatur: & prædicta omnia & ijs ſimilia ad dignitatem & iuriſdictionem dictæ Ciuitatis & ſui Diſtrictus ſpectantia præfati Nuntij noſtro & Eccleſiæ Romanæ nomine publice & ſolemniter faciebāt & exercebant ſine reſiſtentia & contradictione cuiuſcumque: & de prædictis omnibus erant nomine noſtro & Eccleſiæ Romanæ in poſſeſſione, vel quaſi, pacifica & quieta, tempore quo Ioannes de Superantijs Venetus nomine Venetorum in iniuriam & præiudicium noſtrum & Eccleſiæ Romanæ pro Poteſtate ciuitatē Ferrarienſem intrauit. Cum præfati Nuntij noſtri audiuiſſent & intellexiſſent iamdiu ante aduentum dicti Poteſtatis pro Venetis, quòd Dux & Conſiliarij & Commune Venetiarum ad impediendam & perturbandam prædictam Eccleſiæ Romanæ poſſeſſionem,

vel Ciuitatis, Comitatus & aliorum iurium prædictorũ ſe parabant, eoſdem Duces, Conſiliarios & Commune dicti Nuntij auctoritate Apoſtolica per ſuas litteras & nuntios primitus monuerunt, & ſubſequenter per venerabilem fratrem noſtrum Caſtellanen. Epiſcopum loci Diœceſanum canonice moneri fecerunt, ne Eccleſiam Romanam in poſſeſſione vel quaſi prædictorum, per ſe vel per alios impedirent, aut turbarent: dictusq. Abbas Tutellenſis propter hoc Venetias perſonaliter accedens, Ducem, Conſiliarios, & Commune prædictos auctoritate Apoſtolica monuit, vt à prædicto impedimento ceſſarent, & penitus abſtinerent: in iniuriam autem dictæ Sedis Apoſtolicæ & contemptum, Veneti contra dictum Abbatem & Eccleſiæ Romanæ Nuntium publice clamauerunt, Moriatur Legatus: & contra eum & ſuos familiares multos lapides proiecerunt, ac ſpretis monitionibus antedictis, Dux, Conſiliarij & Commune prædictũ ad iura ipſius Romanæ Eccleſiæ manus auidas extenderunt, & Ciuitatem Ferrarienſem peculiarem eiuſdem Romanæ Eccleſiæ Cameram & peculium ſpeciale, in ipſius Eccleſiæ iniuriam manifeſtam & offenſam, & totius Prouinciæ ſcandalum, temerarijs auſibus cum machinis, baliſtis, & alijs armorum generibus impugnantes, ac violantes treugas initas inter eos, Caſtrum ſeu fortalitium Thedaldi eidem Ciuitati contiguum, Burgum Ciuitatis ipſius, Pontem ſupra flumen Padi iuxta Ciuitatem eamdem, & Turrim iuxta ipſum pontem poſitam nequiter occuparunt, & in dictam Ciuitatem & ciues ipſius Romanæ Eccleſiæ fideles quaſi flamma vorax furore indignationis accenſi, deteſtabiliter irruentes, quamplures domos, & nauigium valde magnum & pulchrum Ciuitatis eiuſdem, & multa bona ciuium prædictorum incendio concremarunt, & laxatis impietatis habenis, ætati vel ſexui non parcentes, ex fidelibus ipſis nonnullas mulieres & pueros diræ mortis ſupplicio tradiderunt, & alimenta dictis Nuntijs noſtris & Eccleſiæ Romanæ fidelibus inhumaniter ſubtraxerunt: & venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum Ceruienſem in dictorum Nuntiorum noſtrorum adiutorium aduenientem, hoſtiliter, Dei timore poſtpoſito, & abiecta Sedis Apoſtolicæ reuerentia, inuadentes, rebus proprijs ſpoliarunt, & familiares ipſius carceri mancipatunt. Propter quod dicti Nuntij noſtri & Sedis Apoſtolicæ præfatos Ducem, Conſiliarios, & maiores Venetiarum, qui dicta maleficia fieri fecerant, necnon omnes & ſingulos qui ea fecerant, ſeu commiſerant, vel perpetrauerant, ſiue ad ea facienda conſilium, auxilium vel fauorem dederant, legitima monitione præmiſſa, auctoritate noſtra excommunicationis vinculo innodarunt, & Terram & vniuerſitatem Venetiarum & Ciuitatem Caſtellanen. ſuppoſuerunt Eccleſiaſtico Interdicto, ad pœnas alias contra ipſos, creſcente contumacia & malitia, procedentes. Nos inſuper prædictis exceſſibus intellectis; ignorantes tamẽ à prædictis Nuntijs noſtris excommunicationis & Interdicti ſententias propter hoc promulgatas, & quòd pręductus Ioannes vt Poteſtas veniſſet Ferrariam pro Venetis neſcientes, prædictis Duci, Conſiliarijs & Communi paterna ſollicitudine compatientes, quod per hoc * indecoris ſingula maculã poſuiſſent, & deuotionis ſententiam

 ha-

habuiſſent: quia nos Eccleſiæ Romanæ iura, iuriſdictiones & bona oportet ex debito Paſtoralis officij defenſare, eoſdem Ducem, Conſiliarios, & Commune Venetiarum per noſtras litteras monuimus & requiſiuimus gratioſe, ipſisq. per Apoſtolica ſcripta mandauimus, quatenus à quibuſlibet occupationibus, moleſtijs, impugnationibus, iniurijs, violentijs atque damnis dictæ Ciuitatis Ferrarienſis, eiuſdem Comitatus, Territorij & Diſtrictus, & perſonarum ipſarum, per ſe ac per alios ceſſarent omnino, ac deinceps à ſimilibus abſtinerent: Caſtrum, ſeu fortalitium, Burgum, Pontem, & Turrim prædictam, & quælibet alia bona & iura, quæ ad dictam Ciuitatem Ferrarienſem contingere quomodolibet dinoſcuntur, præfatis Abbati & Decano Cappellanis noſtris & Nuntijs, vel ipſorum alteri, vel alij, aut alijs ad mandatum ipſorum, vel alterius eiuſdem, vocatis expreſſe omnibus per quos prædicta faciunt detineri, vacua, libera, & penitus expedita infra certum temporis ſpatium in ipſis litteris comprehenſum, totaliter dimittentes, Ciuitatis, Comitatus & Caſtri, aliorũq. prædictorũ quolibet impedimento ſublato, vel quaſi, permitterent eoſdem Nuntios noſtro & Eccleſiæ Romanæ nomine libera & pacifica ac quieta poſſeſſione gaudere, nullam ſuper prędictis & Eccleſiæ Romanæ, ſeu præfatis Nuntijs noſtris moleſtiam illaturi: alioquin diſſimulare non poſſemus, quin ſpiritualiter & temporaliter contra eos procedere curaremus, ſicut nobis expediens videretur, & iuſtitia ſuaderet: Ac per venerabiles fratres noſtros Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcham, qui de terra dictorum Ducis, Conſiliariorũ & Communis oriundus exiſtit, & quem paulo ante ad magnam eorumdem inſtantiã & ſuis exigentibus meritis Conſtantinopolitanæ præfeceramus Eccleſiæ Patriarcham, & per Caſtellanen. loci Diœceſanum, & per Paduanũ eiuſdẽ Vicarium, Epiſcopos, necnon per chariſſimos in Chriſto filios noſtros Siciliæ & Trinacriæ Illuſtres Reges, in quorũ Regnis & Terris quamplures ex Venetis cõmorantur, ſua negotia & mercimonia exercentes, ad prædicta facienda eoſdem Ducem, Conſiliũ & Commune Venetorũ moneri efficaciter mandauimus: & per ipſos inſuper Nuntios, & per venerabiles fratres noſtros Archiepiſcopũ Rauennatenſem, Epiſcopum Ferrarienſem, & alios quamplures Prælatos & Religioſos præfati Veneti ſuper prædictis pluries requiſiti fuerũt: Ipſi vero ſpiritu ſuperbiæ inflati, mala malis accumulantes, & peiora prioribus committentes, ad prædictam ciuitatem Ferrarienſem cum ingenti armorum multitudine venientes, & in eam & noſtros Nuntios præfatos, qui Ciuitatem ipſam, Comitatum atque diſtrictum cum ſua iuriſdictione & alijs iuribus & pertinentijs ſuis noſtro nomine poſſidebant, & ciues & habitatores Ciuitatis atque Diſtrictus & Comitatus ipſorum per terram & per aquam cum machinis, baliſtis, & alijs diuerſis armis hoſtiliter irruentes, non parcentes Eccleſijs & alijs pijs locis, nec ſexui vel ætati, Ciuitatem ipſam, Comitatum & Diſtrictum, & domos eorum in magna parte incendio & machinis, & interdum aquarum decurſibus conſumpſerunt, & perſonas eorum nequiter peremerunt, & tandem Ciuitatem ipſam, & Palatium noſtrum, & Eccleſiæ Romanæ iuriſdictionem, & dominium Ciuitatis, Comitatus,

Di-

Diſtrictus, & Territorij prædictorum per violentiam occuparunt, & detinent occupata, ſubijcientes ſeruituti & ditioni ſuæ homines ipſius Ciuitatis, licet inuitos & contradicentes, de iure Romanæ Eccleſiæ publice proteſtantes: Poteſtatem ipſum & alios Officiales, qui nomine Eccleſiæ ipſam regebant Ciuitatē, Comitatum atque Diſtrictum, & cum iuriſdictione, alijſq. iuribus & pertinentijs plene & pacifice poſſidebant vel quaſi, eadem poſſeſſione vel quaſi per violentiam ſpoliarunt. Ecce videant Eccleſiæ Romanæ fideles & filij an exaggerari, & exaggerata ſi puniri meruit tanta temeritas offenſorum. Quis enim niſi ferreum pectus habens, vel caput ſaxeum, vel cor gerens duriſſimi adamantis, eidem Terræ deſtructioni expoſitæ non aperiat viſcera pietatis? Quis non prouocetur ex intimis, quis non accendatur ad iram, & quis non animetur ad actum debitæ vltionis? Certe clamare poteſt mater Eccleſia, in voce lamentationis prorumpens: Filios enutriui & exaltaui, ipſis multas gratias & priuilegia concedendo, ipſi autem ſpreuerunt me, dotem meā pretioſam & charam contra Eccleſiæ monita ſuperbe mihi & contumelioſe per apertam iniuriam auferendo. Attendere debuerant Veneti, quòd Lucifer perfectionem, ſublimitatem, dignitatem, & excellentiam habuit ſuper omnes alios Angelos ante lapſum, & quia in ſuperbiam ſe voluit exaltare, humiliatus & depreſſus eſt vſque ad profundū abyſſi: & quòd primi parentes de Paradiſo deliciarum, vbi à Domino collocati, ante caſum bonorum opulentiam & omnis mali carentiam obtinebant, propter inobedientiæ vitium eiecti fuerunt, expoſiti periculis, inedijs, laboribus & ærumnis. Sed nec illud eſt omittendum, quòd Dathan & Abiron eo quod inſurgebāt contra Moyſen & Aaron typum Eccleſiæ principū gerentes, terra eos viuos abſorbuit cum tabernaculis & tota ſubſtantia eorumdem, & in profundum abyſſi ſunt demerſi: Ex eadem quoque cauſa quatuordecim millia & ſeptingenti, præter illos qui perierunt in ſeditione Core, contra Moyſen diuino miraculo per incendium perierunt. Propter ingratitudinem inſuper, quam contra Moyſen rectorem populi Iſraelitici, qui eos de Aegyptiaca eduxerat ſeruitute, & eis contulerat multa bona, ipſi temere commiſerunt, fuerunt ex eis diuino iudicio quaſi vigintimillia interfecti. Quid verò contigerit Abſaloni propter ingratitudinē commiſſam contra Dauid patrem ſuum, libri Regum lectio manifeſtat. Sed attendant, quæſumus, Veneti, quis dixerit verbum illud: Durum eſt tibi contra ſtimulū calcitrare? & certe verbū fuit Domini noſtri IESV Chriſti, cuius vices in terris, licet immeriti gerimus, ad Saulum perſecutorē populi peculiaris eiuſdem. Vnde non volentes vlterius tam temerarios & notorios exceſſus, nec tantum & tam manifeſtum Eccleſiæ Romanæ opprobrioſum præiudicium, & præiudiciale vituperiū ſub diſſimulatione tranſire, licet abſque alia monitione, vel dilatione qualibet iuſte poſſemus procedere in Ducē, Conſiliarios, & alios malefactores & Commune prædictos; volentes tamen probare adhuc de ſolito Sedis Apoſtolicæ benignitatis affectu, ſi aliqua in eis ſcintilla deuotionis remanſerit; volentes etiam oues errantes ad ouile

hu-

humilitatis humeris reportare; ipſos Ducem, Conſiliarios & Commune Venetiarum, vniuerſaliter ſingulos & ſingulariter vniuerſos, & nominatim dictum Ioannem Superantium ciuem Venetorum, qui exercitum Pharaonis, hoc eſt, Ducis & Communis Venetiarum contra nos & Eccleſiam Romanam, ciuitatemq. Ferrarienſem prædictam collegit, & dux & Capitaneus fuit pro Venetis in eadem Ciuitate in magnum noſtrum & Eccleſiæ Romanæ præiudicium & iniuriam manifeſtã, & pro Poteſtate ſe geſſit, Vitalem Michaelẽ, qui nunc ſe gerit, omnisq. auctoritate vel nomine Venetorum Capitaneus, vel aliud quodcumque gerit officium, vel geſſerat eorumdẽ Venetorum nomine in Ciuitate prædicta, vel aliqua parte Comitatus, vel Diſtrictus eiuſdem, ac alios etiam, qui Palatium Ferrarienſe, Caſtrum ſeu fortilogium Thedaldi, Pontem Ferrariæ ſupra Padum, & Turrim eidem Ponti contiguam, vel Ciuitatem & Comitatum prędictos in totum, vel in partem præter voluntatem noſtram & prædictorum Nuntiorum noſtrorum detinuerunt, & detinent per ſe, vel per alium, ſeu alios, & omnes alios, qui prædictas ſpoliationem, ſpoliationes, deprædationes, moleſtias, iniurias, violentias & exceſſus vel inſultus fecerunt per ſe, vel per alium ſeu alios fieri fecerunt, ſeu mandauerunt, ſeu factos ratos habuerunt, ſeu ad faciendum dederunt conſilium vel fauorem, publice vel occulte; hortamur in Domino & monemus, & ipſis per Apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quòd ipſi Dux, Conſilium & Commune Venetiarum, dictusq. Ioannes de Superantijs, Vitalis Michael, & alij qui pro dictis Venetis Ferrariæ, vel in eius Comitatu ſeu Diſtrictu commorantur, prædictos Ciuitatem, Comitatum atque Diſtrictum, Palatium ſeu Pontem, Turrim cum ſuis iuribus & pertinentijs, & quæcumque alia bona & iura, quæ dictam Ciuitatem, vel eius Comitatũ quomodolibet contingere dinoſcuntur, præfatis Abbati & Decano Cappellanis & Nuntijs noſtris, vel ipſorum alteri, aut alij vel alijs ad mandatum ipſorum, ſeu alterius eorumdem, plene & integre reſtituant, & ea omnino dimittant, vel dimitti faciant, reuocatis & excluſis omnino cunctis, per quos detinentur, prædicta ipſa vacua, libera & penitus expedita prædictis Nuntijs vel ipſorum alteri totaliter dimittentes, ita quod Ciuitatis, Comitatus, Diſtrictus, Palatij atque Caſtri, ac aliorum prædictorum quomodolibet impedimento ſublato, poſſeſſione vel quaſi præfati Nuntij noſtri nomine noſtro & Eccleſiæ Romanę poſſint gaudere libere & quiete, nullam ſuper ijs, vel aliorum aliquo nobis vel Eccleſiæ Romanæ ſeu Nuntijs noſtris ſæpefatis turbationem, moleſtiam, ſeu violentiam illaturi. Deinceps quoque de illatis iniurijs atque damnis nobis & Eccleſiæ Romanæ, ſeu præfatis Nuntijs noſtris, vel eorum alteri, necnon hominibus ſeu habitantibus prædictam ciuitatem Ferrarienſem & eius Comitatũ & Diſtrictum plenariam ſatisfactionem impendant. Quòd ſi prædicti Dux, Conſiliarij & Commune Venetiarum, dictusq. Ioannes Superantius, Vitalis Michael, & alij qui ſupra hæc habent pro Venetis poteſtatem, dictis Nuntijs noſtris, aut alij, vel alijs ad mandatum ipſorum, vel alterius eorumdem infra triginta

dierum

dierum ſpatium poſtquam præſens mandatum ad eorum notitiam peruenerit, ſeu per eos ſteterit quo minus peruenerit, vel potuerit perueniſſe, prædictos Ciuitatem, Comitatum, Palatium, Caſtrum & Turrim cum ſuis iuribus & pertinentijs, & quæcumque alia bona & iura, quæ eius Ciuitatem, Comitatum atque Diſtrictum quomodolibet contingere dinoſcuntur, plene & integre non reſtituerint, & ea libera, & penitus expedita non dimiſerint, vel dimitti fecerint, reuocatis & excluſis omnino cunctis per quos detinentur prædicta, ſic quod ex tunc Ciuitatis, Comitatus, atque Caſtri & aliorum præfatorum, quolibet impedimento ſublato, poſſeſſione, vel quaſi, præfati Nuntij noſtro nomine & Eccleſiæ Romanæ poſſint gaudere libere, pacifice & quiete, nullam deinceps ſuper prædictis, vel eorum aliquo, nobis ſeu Eccleſiæ Romanæ, vel Nuntijs noſtris ſæpefatis turbationem, moleſtiam, ſeu violentiam illaturi, Ducem, Conſiliarios, & ſingulares dicti Communis perſonas facto, verbo, auxilio, vel conſenſu, aut fauore, culpabiles in prædictis, ac Ioannem, Vitalem Michaelem prædictos, & alios qui à præfatis Venetis dictam reſtitutionem ac dimiſſionem faciendi habeant poteſtatem, de fratrum noſtrorum conſilio excommunicationis ſententiam incurrere volumus, à qua nullus præterquã in mortis articulo ab alio quàm à Romano Pontifice numquam poſſit abſolutionis beneficium obtinere: & ſi aliquis de prædictis à dicta ſententia in mortis articulo fuerit abſolutus, licet ſuper hoc fuerit de iure prouiſum, nec tamen prætextu ignorantiæ ſe ſatagat excuſare; volumus tamen & declaramus, quòd taliter abſolutus, niſi poſtquam ad conualeſcentiam peruenerit, quamprimum commode poterit, de prædictis commiſſionem, reſtitutionem, ſatisfactionem fecerit, vt dictum eſt, in excommunicationis ſententiam recidat ipſo facto. Et nihilominus ciuitatem Caſtellanen. & Terram ſeu locum Venetiarum, ac Vniuerſitatem Venetorum; necnon & alias Terras, Caſtra, Ciuitates & Vniuerſitates dictis Duci & Communi Venetiarum ſubiectas, ad pœnam ipſorum Eccleſiaſtico ſupponimus Interdicto. Et quia eſurienti panis tollitur vtilius, quàm ſi de cibo ſecurus iuſtitiã vilipendat, eo caſu Duci, Conſilio & Communi Venetorũ communionem, participationem & commercium quorumlibet Chriſti fidelium ex nunc prout ex tunc interdicimus & prohibemus omnino, ita videlicet, quòd nullus eis bladam, vinum, carnes, pannos, vel quaſcumque alias res vel merces deferre, portare vel vendere, aut quocumque alio modo in eos transferre valeat, vel emere ab eis, vel ſuſtinere quòd hæc fiant, ſi potuerint prohibere: & ſi perſona fuerit ſingularis, quantacumque præfulgeat dignitate, excommunicationis, ſiue ſi fuerit Caſtrum, Villa ſeu Vniuerſitas, Interdicti incurrant ſententiam ipſo facto, à qua quidem ſententia ab alio quàm à Romano Pontifice numquam valeant liberari, niſi in mortis articulo, vt in caſu alio ſuperius eſt expreſſum. Et quia beneficia propter ingratitudinem merito reuocantur, ipſos Ducem, Conſilium, & Commune & alios ſupraſcriptos, Ciuitatem ipſam & Vniuerſitatem omnibus priuilegijs, libertatibus & immunitatibus ſub quacumque forma verborum ab Apoſtolica Sede conceſſis, necnon & feudis & bonis,

nis, quæ à Romana, vel alijs tenent Eccleſijs, ex nunc prout ex tunc ſententiando priuamus, omnes vaſſallos & homines earumdem iuramento fidelitatis, & quacumque obligatione qua tenebantur eiſdem, penitus abſoluentes. Volumus inſuper & ſtatuimus, quòd ex nunc ſint, fiant & habeantur infames; ita quòd nec ad teſtamentum, nec ad alios actus legitimos admittantur: fiant etiam inteſtabiles, ſic quod non poſſint condere teſtamentum, nec ad cuiuſcumque ſucceſſionem ex teſtamento ſeu ab inteſtato aliquatenus admittantur. Nullus præterea ipſis ſuper quocumque negotio reſpondeat, ſed ipſi alijs reſpondere cogantur, nec cauſæ ad eorum notitiam perferantur: ſi iuriſdictionem habeant, non valeant eorum ſententiæ, vel proceſſus: nullus eis quacumque cauſa vel negotio patrocinium præſtet, nec ipſi ad patrocinandum ab alijs admittantur: & ſi qui eorum Tabelliones fuerint, inſtrumenta facta per eos nō valeant, ſed cum auctore damnato damnentur: filij quoque ipſorum & nepotes vſque ad quartam generationem ad nullos honores Eccleſiaſticos & mundanos, ad nullas dignitates, & ad nulla beneficia vel officia Eccleſiaſtica admittantur. Quod ſi ſecus actum fuerit, illud carere volumus omni robore firmitatis. In pœnam inſuper prædictorum Ducis, Conſilij & Communis, Epiſcopo Caſtellanen. Abbatibus, Prioribus, Canonicis, Monachis, necnon vniuerſitatibus & ſingulis Ordinum, Fratrum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum ſancti Auguſtini, Carmelitarum, & aliorum quorumcumque Ordinum & Religioſorum Prioribus, Cuſtodibus, Guardianis, & Fratribus, & alijs Clericis ſæcularibus & regularibus quibuſcumque nominibus cenſeantur, in ciuitate Caſtellanen. vel loco Venetiarum vel circa ad decem milliaria commorantibus, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus infra decē poſt prædictos triginta dies immediate ſequentes exeant de Terra, ſeu Ciuitate Caſtellanen. & Venetiarum, & eius Diſtrictu, ad locum ipſum minime reuerſuri, donec dicti Veneti gratiam dictæ Sedis obtinuerint, & à nobis aliud receperint in mandatis. Quòd ſi quis prædictis contrafecerit, excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto, à qua non poſſit abſolui ab alio quàm à Papa, niſi in mortis articulo, vt in alio caſu eſt iam dictum, quocumque priuilegio non obſtante. Concedimus tamen quòd in Eccleſijs & domibus pro ipſa cuſtodia, Cathedrali, vel aliqua Collegiatis & non collegiatis, Prædicatorum & Minorum, & aliorum Religioſorum & ſæcularium, vnus, duo, tres, quatuor, quinque vel ſex ſecundum magnitudinem vel paucitatem earum Eccleſiarum vel domorum, conuerſi & illiterati, vel Clerici in minoribus Ordinibus conſtituti, & in Eccleſijs parochialibus, Parochiales Presbyteri pro miniſtrandis Baptiſmate paruulorum, pœnitentijs morientium, & alijs Sacramentis Eccleſiaſticis, quæ miniſtrantur tempore Interdicti, de iure licite valeant remanere. Verumtamen quia creſcente malitia, pœna debet augmentari: ſi Dux, Conſiliarij, Commune prædicti per triginta dies poſt alios triginta dies immediate ſequentes in contumacia perſtiterint ſupradicta, ipſum Ducem à dignitate Ducatus, & alios ſupradictos in dignitatibus conſtitutos, ſeu publicis officijs, ab ipſis officijs & dignitatibus ex nūc

prout

prout ex tunc deponimus, & per ſententiam remouemus, & eos inhabiles reddimus ad publica officia, ad conſilia, & honores quoſcumque: & ne ipſorum temeritas tranſeat præſumptoribus in exemplum, bona ipſorum mobilia & immobilia de ipſorum fratrum conſilio confiſcamus, & perſonas ipſorum Ducis, Conſiliariorum, & Communis Venetiarum & aliorũ Venetorum, exponimus fidelibus capiendas; bonorum immobilium, quæ ipſi Dux & Commune & ſingulares perſonæ Venetiarum habent, & habere dicuntur in Romaniola, & alibi vbicumque, diſpoſitione & ordinatione nobis & noſtris ſucceſſoribus ſpecialiter reſeruatis. Illud inſuper prædictos Ducem & Commune nolumus ignorare, quòd contra eos vniuerſorum Regum, Principum, & Vniuerſitatum & aliorum fidelium quorumcumque proponimus ſubſidium inuocare, & per omnem modum & viam, per quos cum honore Eccleſiæ poterimus, ipſorum ſuperbiam, ingratitudinem, proteruiam & rebellionem domare, ſic quòd illis reatus ſuos pœnarum acerbitate deflentibus, pœnales ipſorum fletus cedant perpetuo ipſorum poſteris ad terrorẽ. Et ſi prædicti Dux, Conſilium & Commune, Ioannes, Vitalis Michael, & alij ſupradicti, necnon & alij quicumque, qui prædictas moleſtias, iniurias & offenſas, violationes, deprædationes & incendia, homicidia ſeu maleficia contra nos & Eccleſiam Romanam commiſerunt, ſeu perpetrauerunt, vel qui ad ea facienda dederũt conſilium, auxilium vel fauorem, infra tres menſes computandos à tempore quo præſens mandatum ad eorum notitiam peruenerit, vel per eos ſteterit quominus poſſit vel potuerit perueniſſe, nobis & Eccleſiæ Romanæ, Nuntijs & fidelibus dictorum Ciuitatis, Comitatus & Diſtrictus Ferrarienſis plene nõ ſatisfecerint de damnis & iniurijs irrogatis: & quicumque cum dictis Venetis contumacia durante, confœderationem, colligationem, ſocietatem ſeu ligam fecerit, vel inierit, ſeu conſilium, auxiliũ dederit vel fauorem, directe vel indirecte, publice vel occulte præfatis Venetis in detentione Ciuitatis & Comitatus prædictorum, vel ne Veneti & alij ſupradicti reſtitutionem & ſatisfactionem faciãt nobis & Eccleſiæ Romanæ & fidelibus noſtris prædictis de ciuitate Ferrarienſi, & eius Comitatu atque Diſtrictu cum ſuis iuribus & pertinentijs vniuerſis, & de iniurijs atque damnis, vt ſuperius eſt expreſſum; ſi ſingulares perſonæ fuerint, quantacumque præfulgeant dignitate, anathematis, ſi vero Ciuitas, Caſtrum, Villa, aut Vniuerſitas, Collegium ſeu Communitas, Interdicti ſententiam incurrant ipſo facto, à quibus vel eorum aliqua nullus abſolutionem, remiſſionem & relaxationem valeat obtinere, præterquam in mortis articulo, vt in caſu ſuperius iam eſt dictum: Colligationes autem, confœderationes, pactiones, conuentiones, ſocietates, ſubmiſſiones & obligationes quaſcumque factas inter ipſos Venetos & Ferrarienſes, & ipſos Venetos & alias Ciuitates, Vniuerſitates, vel Communitates quaſcumque, & ſi ſint iuramento, promiſſione, perſonarum adiectione, vel alia quacumque firmitate vallatas, annullamus, caſſamus, & penitus irritamus, & eas haberi volumus pro infectis. Ceterum quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent, nullus vano decipiatur errore, vt infra tempus ſui regiminis

minis prædictas pœnas vel aliquam earum ſuſtineat, quaſi poſt illud non ſit ad ſatisfactionis debitum compellendus: nam & ipſum, qui ſatisfacere recuſauerit infra quindecim dies, remanere decernimus eiſdē pœnis concluſum, & per omnia & in omnibus obligatum. Ne vero circa ſcientiam, notitiam vel auditum huiuſmodi proceſſus Veneti poſſint ignorantiam allegare, neve alij quibus prohibuimus ne Venetis bladā, vinum vel quaſcumque alias res deferant, vendant, ſeu quocumque modo transferant, vel ab eis aliquid emant, ſeu ne ipſis faueant in prædictis, vel contra prohibitiones noſtras prædictas in aliquo veniant, prætextu ignorantiæ contra prohibitiones huiuſmodi velamen excuſationis aſſumant, ipſum Auinione in platea quæ eſt ante Eccleſiam Fratrum Prædicatorum dicti loci, in quorum domibus ad præſens habitamus, in die Cœnæ Domini qua Romani Pontifices prædeceſſores noſtri conſueuerunt ſuos ſolemnes publicare proceſſus, præſente Clericorum & aliorum fidelium multitudine copioſa fecimus publicari, & membranas proceſſus huiuſmodi continentes, Eccleſiæ Cathedralis Auinionenſis & Prædicatorum prædictorum oſtijs ſeu ſuperliminaribus appendi vel affigi, quæ plenius proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio & patulo indicio publicabunt: ita quod ij, quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſſint poſtea excuſationem prætendere, quòd ad eos talis proceſſus non peruenerit, vel quòd ignorarint eumdem, cum non ſit veriſimile remanere quoad ipſos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum Auinione in dicto loco, ipſa die Cœnæ Domini, Pontificatus noſtri anno quarto.

MANDATVM PROCVRATORIVM Ducis, Conſilij, & Communis Venetiarum, ad petendum à Clemente Papa Quinto abſolutionem ab excommunicatione & cenſuris contra eos prolatis.

IN CHRISTI NOMINE AMEN. Anno eiuſdem Natiuitatis M.CCCX. Indictione octaua, die decimo nono menſis Martij. Præſentibus Petro Nanno, filio D. Marci Raſi de Tergeſto, Petro Longo notario de Tergeſto, Rodulfo Bayardi notario de Tergeſto, Ottone de Alba ciue Tergeſtenſi, Paſchale de Coya de Tergeſto, teſtibus rogatis, & ad hæc ſpecialiter conuocatis, & alijs. Congregato maiori & generali Conſilio ciuitatis Venetorum in ſala maiori Ducatus Venetiarum per ſonum campanæ, & voces præconum, vt moris eſt in ciuitate Venetiarum, coram magnifico & excellentiſſimo viro D. Petro Gradenico, Dei gratia Venetiarum & Dalmatiæ atque Graciæ Duce inclyto, & Domino quartæ partis & dimidiæ totius Imperij Romaniæ, & eius Conſiliarijs, & eiuſdem domini Ducis voluntate & auctoritate: In quo Conſilio fuerunt congregatæ duæ partes Conſiliariorum ipſius maioris & generalis Conſilij, & qui omnes ipſum maius & generale Conſilium, & homines ipſius maioris & generalis Conſilij, cum ipſo domino Duce & eius Conſiliarijs; & ipſe dominus Dux & eius Conſiliarij cum ipſo maiori & generali Conſilio, plena & vnanimi voluntate, ac nemine diſcordante, nomine ſuo, tamquam ſingularium perſonarum, & vice & nomine Communis, Vniuerſitatis, & hominum Venetorum, & totius Diſtrictus, & ſingularium perſonarum dicti Communis, Vniuerſitatis, & Diſtrictus, ac ſubditorum & fidelium ipſorum adhærentium, coadiutorum, valitorum, & fautorum, & cuiuſque ipſorum: Cupientes ſuorum imitare veſtigia antiquorum, & in ſinceritatis fide, deuotione atque gratia ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ matris eorum, & ſanctiſs. & beatiſſimi in Chriſto Patris & Domini, D. Clementis diuina prouidentia Papæ Quinti, omni mentis puritate conſiſtere, fecerunt, conſtituerunt, & creauerunt, & ordinauerunt, nobiles & ornatos viros, dominos Carolum Quirinum, & Franciſcum Dandulum, ciuitatis Venetiarum ciues, licet abſentes, tamquam præſentes, & quemlibet eorum in ſolidum, ita quòd non ſit melior conditio occupantis, ſed quod vnus eorum inceperit, alter proſequi valeat, & finire, ſuos & dictorum Communis, Vniuerſitatis, & Diſtrictus, & ſingularum perſonarum, ipſorum & cuiuſlibet eorumdem, veros & legitimos Syndicos, Procuratores, actores, factores, & nuntios ſpeciales, ad ſe præſentandum ad pedes ſanctiſſimi Patris & Domini, D. Clementis diuina prouidentia Papæ Quinti, & Sanctitati ac clementiæ ſuæ omnem reuerentiam exhibendam, & ab eius benignitate veniam, gratiam, & miſericordiam humiliter implorandam, & ad ſupplicandum eidem humiliter, vt

abſolutionis beneficium ſecundum formam Eccleſiæ, à quibuſuis excommunicationis ſententijs,& à culpis,offenſis,exceſſibus,iniurijs,expenſis,& damnis datis,& alijs quibuſcumque violentijs perpetratis, commiſſis, & illatis per dictos dominum Ducem & Venetos, & perſonas quaſcumque ciuitatis Venetiarum & Diſtrictus, & ſingulares perſonas ipſius Ciuitatis & Diſtrictus,eorumq. valitores, auxiliatores, complices, & fautores, vel aliàs de mandato ipſorum in ciues & ciuitatem Ferrarienſem, Comitatũ & Diſtrictũ eorum,ipſorumq. auxiliatores,valitores,defenſores,& quemlibet eorum,& bona ipſorum mobilia & immobilia, necnon ſuper his omnibus & ſingulis,& ſuper alijs quibuſcumque ab his dependentibus,& connexis eiſdem, & ipſorum circumſtantijs vniuerſis,& ſuper quibuſcumque offenſis & damnis,quæ ſint,vel dicantur ab ipſis,vel ipſorum aliquo illata, vel data, ſcienter vel ignoranter quomodolibet, aduerſus Dominum Papam,ſeu Legatos vel Nuntios ipſius,ac homines & vaſſallos eiuſdem; vel aliàs contra ipſam Romanam Eccleſiam quoquomodo; dignetur eis, & cuilibet eorum, nomine prædictorum,& ſingularium perſonarum ipſorũ, impendere miſericorditer & largiri: Et ad petendum humiliter Eccleſiaſticum Interdictum poſitum tam in ciuitate Venetiarum, ſeu in perſonis ciuitatis ipſius, quàm in alijs quibuſcumque perſonis, & Terris ac locis, eis ſubiectis,vel alijs eorum occaſione,de gratia & iuxta formam Eccleſiæ relaxari, & à ſententijs excommunicationum abſolui, & nomine quo ſupra,ad implorandum, petendum, & obtinendum beneficium reſtitutionis in integrum, & ſe,& quemlibet de prædictis, aut de conciuibus, & diſtrictualibus, vel ſubditis ſuis, adhærentibus, coadiutoribus, valitoribus, & fautoribus, qui ob dictas D. Papæ, vel aliorum quorumcumque ipſius auctoritate ſententias,vel proceſſus,pœnas,infamiam,inhabilitatem,vel notas,ſeu defectus aliquos incurriſſent, in integrum reſtitui; & ipſas omnes ſententias priuationum,publicationes bonorum, inhabilitates, notas, infamias,defectus,reſeruationes,etiam aggrauatorias, & alios quoſcumque proceſſus,& ſententias,ac pœnas,tam ſpirituales,quàm temporales,etiam ſi ſuper abſolutione aliquorum ab homagijs, iuramentis, vel alijs latæ fuerint,ac etiam aggrauationes,& alios quoſcumque proceſſus & ſententias, cuiuſcumque formæ verborum extiterint, vel tenoris, etiam ſi ab alijs quibuſcumque auctoritate Apoſtolica fuerint prolati,vel prolatæ; de gratia reuocari,caſſari,tolli,& annullari,& ſe in priſtinum ſtatum ſuum, & ſinum dicti Domini Papæ,ac Romanæ Eccleſiæ reſtitui,reponi, reintegrari, & conſeruari, & reſtitutionem bonorum,quæ vbicumque & à quibuſcumque fuiſſent vel ſint occupata, inuaſa, vel detenta, ſeu habita petendum, etiam ſi ſuper eis,vel eorum retentione,vel poſſeſſione fuerit ab ipſo Domino Papa, vel alijs ipſius, vel alia quauis auctoritate, lata ſententia, vel factus proceſſus,& eorum captiuos, vbicumque & in quibuſcumque locis & guerris capti fuerint, relaxari: Et ad petendum humiliter, pacta quæ habuerunt & habent cum quibuſcumque perſonis, Terris, locis,Collegijs, & Vniuerſitatibus,& priuilegia,honores,& iuriſdictiones ipſorum domini Ducis, Communis, Vniuerſitatis,& Diſtrictualium ipſorum ampliari,ma-

iorari,gratificari,& gratioſiora concedi, & ſuper ijs quaſcumque litteras impetrandum: Dantes præfati dominus Dux & Conſiliarij, nihilominus modo quo ſupra, præfatis duobus Syndicis & Procuratoribus ſuis, & eorum cuilibet, plenam & liberam poteſtatem, ac ſpeciale mandatum in ipſorum animas iurandi, ac iuramentum præſtandi de parendo mandatis ipſius Domini Papæ, & Romanæ Eccleſiæ, ſuper omnibus & ſingulis ſupradictis, & quolibet præmiſſorum, ſatisfaciendi etiam ipſi Domino Papæ, & Eccleſiæ Romanæ, & eius ſubditis & vaſſallis, valitoribus etiam, & fautoribus, de ijs omnibus & ſingulis, pro quibus præfatæ ſententiæ ac proceſſus huiuſmodi latæ & facti fuerint, obediendi quoque & parendi ſuper ijs omnibus & ſingulis, & ſuper alijs quibuſcumque tam dependentibus vel connexis eorum, quàm circumſtantijs vniuerſis, ipſius Domini Papæ & Apoſtolicæ Sedis beneplacitis & mandatis, & promittendi nomine quo ſupra, ſe & ipſos, ipſa mandata & beneplacita recipere ac ſeruare, & firma ac rata ſemper habere, ac tenere, & numquam contrafacere, vel venire: faciendi inſuper cum ipſo Domino Papa, & Eccleſia Romana, pacta, tranſactiones, conuentiones, & ordinationes, tractatus, collationes, informationes, & ſuaſiones, de quibus ipſi Domino Papæ, & ipſius Procuratoribus, vel eorum alteri, videbitur expedire, & illos ac illas in firmitatem reducendi, complendi, & firmandi, & effectui mancipandi, & tam ipſas, ſeu illas, vel illa, quàm præmiſſa mandata & beneplacita Domini Papæ valandi promiſſionibus, obligationibus, acceptilationibus, pœnarum adiectionibus, renuntiationibus, & cautelis quibuſlibet ſpiritualibus & temporalibus, de quibus ipſi Domino Papæ & Eccleſiæ Romanæ placuerit, & omnia pro ipſis & ſingulis prædictis ex eis ſtipulandi, & ſtipulationes & obligationes faciendi, recipiendi, & ſuper prædictis, & quolibet prædictorum, & infraſcriptorum, & alijs circumſtantijs quibuſcumque celebrandi, nomine quo ſupra, vnum vel plures, contractum & contractus, valandum & valandos promiſſionibus, obligationibus, ſtipulationibus, pœnarum adiectionibus, renuntiationibus, & omnibus & ſingulis clauſulis quibuſcumque: & obligandi pro prædictis & infraſcriptis omnibus & ſingulis, & quæ per ipſos Syndicos, vel eorum alterum in hac parte prædicto nomine fieri contingent, firmiter obſeruandis, attendendis, cōplendis, & inuiolabiliter adimplendis, tam prædictorum nominatorum & expreſſorum ſpecialiter, quàm dicti Communis & Diſtrictus, & ſingularium perſonarum ex eis, & dicti Communis & Diſtrictus, bona omnia mobilia & immobilia, præſentia & futura, & ex ſuperabundanti agendi, defendendi, libellum dandi, & recipiendi, litem conteſtandi, de calumnia & de veritate dicenda in animas ipſorum iurandi, & præſtandi cuiuſlibet alterius generis iuramentum, cum eis omnibus & ſingulis, quæ in agendo & defendendo requiruntur, coram ipſo Domino Papa, & eius Auditoribus, & in eius Curia: Ac generaliter omnia & ſingula alia faciendi, tractandi, firmandi, complendi, ſupplicandi, gerendi, & exercendi, quæ in prædictis, & circa prædicta & infraſcripta, & eorum quolibet fuerint opportuna, ſeu eis, vel eorum alteri viſa fuerint expedire, quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non in-

ſerta, mandatum exigant ſpeciale, etiam ſi illa non expreſſa maiora eſſent, quàm hic poſita vel expreſſa, atque ipſimet facere poſſent, ſi perſonaliter intereſſent: Supplicandi præterea eidem Domino Papæ, & volendi & conſentiendi, quòd idem Dominus Papa omnem defectum, ſi quis ex quauis cauſa, vel ratione in huiuſmodi Syndicatu vel Procuratorio eſt, vel eſſe poſſet, dignetur ſupplere, & ſuppleat de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis: Dantes nihilominus eis, & cuilibet eorum in præmiſſis, & quolibet præmiſſorum, & ea contingentibus, plenum & generale mandatum, cum plena, libera, & generali adminiſtratione, ac promittentes ex nunc mihi Bonfanti notario infraſcripto, tamquam publicæ perſonæ ſtipulanti & recipienti vice & nomine dicti Domini Papæ, & Apoſtolicæ Sedis, ac omnium & ſingulorum aliorum, quorum intereſt, vel intereſſe poterit, ſe ſuosq. ſucceſſores, & dictum Commune ac Diſtrictum, & ſingulares perſonas dicti Communis & Diſtrictus, firmum, ratum & gratū perpetuo habituros totum & quicquid per dictos eorum Syndicos, Procuratores, actores, & nuntios, ſeu eorum alterum, actum, geſtum, & procuratum, atque promiſſum fuerit, in præmiſſis, & circa præmiſſa, & quolibet præmiſſorum, & ea quæ ab ipſis, vel altero ipſorum promiſſa fuerint, obſeruare & adimplere; & non contrafacere, vel venire: & ex ſuperabundanti, de iudicio ſiſti, & iudicatum ſoluendo, cum omnibus ſuis clauſulis, ſub hypotheca & obligatione omnium bonorum ſuorum, & dicti Communis, Vniuerſitatis, & Diſtrictus. Quod quidem Inſtrumentum Syndicatus & Procurationis fieri voluerunt, & Ducali bulla plumbea pendenti muniri, eorum nomine.

Ego Bonfante q. Vitalis, laicus Taruiſinus, Apoſtolica auctoritate Notarius publicus, prædictis omnibus interfui, & rogatus ſcripſi.

CLEMENS

CLEMENS PAPA V.

Dilectis filijs Ioanni Duci, & Conſilio, ac Communi Venetiarum Caſtellanen. Diœceſis.

Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

DEDIT nobis Dominus linguam eruditam, vt eum ſuſtentare ſciamus, qui lapſus eſt verbo. Lapſum quidem populum & errantem propitiante Domino ſuſtentamus, cum illum per adiutoriū continemus, & ab infirmis peccatorum erigimus ad ſalutem: quoniam hæc eſt cordis Apoſtolici requies, & hoc refrigerium mentis noſtræ, vt ei qui cunctorum eſt Dominus, quiq. gentes in hereditatem accepit, & noſtræ vigilantiæ miniſterium deputauit ad dandam ſalutis ſcientiam plebi ſuæ, reddamus acceptabilem populum, bonorum operum ſectatorem, & ſicut ornamento decoris fidelium turbis inclyta ſponſa Chriſti mater Eccleſia veſtiatur. Ab ornamenti quidem huiuſmodi compoſitione mirabili, cui mentes noſtras diuini amoris charitas iunxerat, vos & quondam Petrum Gradenico olim Ducem Venetiarum prædeceſſorem tuum, fili Dux, dum adhuc eum in carne præſens ſæculum retineret, Leuiathan ille verſutus hoſtis, coluber tortuoſus, qui etiam viros ſanctitatis claritate fulgentes quaſi lutum vitijs coinquinando ſubſternit, ſui flatus peſtiferi vento ſecernens, adeo prudentiam vos & ipſum abijcere, ſicq. à veſtris & ipſius cordibus exulare conſilium fellita perſuaſione coëgit, quòd ab eiuſdem Eccleſiæ pijſſimæ matris veſtræ dulciſſimis vberibus decidentes, ad iura illius, in vobis olla ſuccenſa deſideriorum ſæcularium, auidas manus extendiſtis improuide, & poſt ciuitatem noſtram Ferrarienſem, peculiarem Eccleſiæ ipſius Cameram & ſpeciale peculiū, per vos & eum ad illam veſtro & ſuo dominio ſubiugandam, duris inſultibus impugnatam, Caſtrum ſeu fortalitium noſtrum Thedaldi eidem Ciuitati contiguum, Burgum Ciuitatis ipſius, Pontem ſuper flumen Padi iuxta Ciuitatem eamdem, & Turrim prope Pontem ipſum, in noſtram & Apoſtolicæ Sedis grauem iniuriam & contemptum, ac totius prouinciæ ſcandalum occupaſtis, aliquandiu facientes illa per violentiam detineri: & deinde in Ciuitatem ipſam, eiusq. ciues, noſtros & Eccleſiæ præfatæ fideles, quaſi flamma vorax, furore indignationis accenſi, deteſtandis auſibus irruentes, & eis durioris inſultus vexatis anguſtijs, ſceleſtisq. actibus data licentia quàmplures domos, & nauigium Ciuitatis eiuſdem concremaſtis incendio, & graſſantibus gladijs, relaxatis habenis ſæua quorumdam veſtrum impietas neſcia parcere ſexui vel ætati, non paucos ex fidelibus ipſis, qui tranſibant ſimpliciter, conuertiſtis in bellum: Mulieres

** populi

populi noſtri de ſuarum deliciarum domibus eiecistis: eiuſdem laudatio-
nes Eccleſiæ quæ in ore paruulorum ſuorum dulciter reſonabant, abſtuli-
ſtis immaniter ab eiſdem: Surgite, inquientes, recedite, quia hic requiē
non habebitis; & nonnullos ex eis, quorum ſexus & ætas innoxia veniam
potius meruiſſe debuerat, efferis animis diræ mortis ſupplicijs tradidiſtis.
Nos vero, quibus bonorum & iurium Eccleſiæ ſupradictæ & defenſionis
onus incumbit, huiuſmodi grauitatem exceſſuum non valentes, prout nec
debebamus, etiam ſub diſſimulatione ſalua conſcientia præterire, vos &
prædictum Petrum, adhuc proceſſuum & ſententiarum qui prætextu Ci-
uitatis eiuſdem & ex certis alijs iuſtis cauſis per dilectum filium Abbatem
Monaſterij Tutellenſis, Lemouicenſis diœceſis, & magiſtrum Honuphriū
de Trebis: Decanum Eccleſiæ Meldenſis, Cappellanos & Nuntios noſtros
contra dictum Petrum & vos & Terram veſtram Venetiarum iam habiti
fuerant & etiam promulgati, notitiam non habentes, per noſtras litteras
requirendos & monendos duximus attentius & hortandos, vobis & eidē
Petro nihilominus dantes per eaſdem litteras in mandatis, vt à quibuſli-
bet occupationibus, moleſtijs, impugnationibus, iniurijs, violentijs atque
damnis Ciuitatis ipſius, eiuſq. Comitatus, Territorij & Diſtrictus, & per-
ſonarum ipſorum per vos & alios ceſſantes omnino, Caſtrum ſeu fortali-
tium, Burgum, Pontem, & Turrim prædictam, & quælibet alia bona & iu-
ra quæ dictam ciuitatem Ferrarienſem quomodolibet contingebant, Ab-
bati & Decano præfatis, vel ipſorum alteri, aut alij, vel alijs iuxta man-
datum ipſorum, vel alterius eorumdem, omnibus reuocatis expreſſe per
quos illa faciebatis tunc temporis detineri, vacua, libera & expedita pe-
nitus infra certi temporis ſpatium in eiſdem expreſſum litteris dimitten-
tes totaliter, & ipſos quolibet impedimento ſublato, noſtro & Eccleſiæ
prædictæ nomine permittentes illorum pacifica & quieta poſſeſſione gau-
dere, nullam ſuper eis nobis & eidē Eccleſiæ ac præfatis Nuntijs ex tunc
in poſterum moleſtiam illaturi: aperte vobis & dicto Petro per litteras
prædicentes eaſdem, quòd ſi forſan huiuſmodi nō acquieſceretis monitis,
exhortationibus & mandatis, contra vos procederemus prout nobis vi-
deretur expediens iuſtitia mediante: Et denium vt de noſtra & Apoſto-
licæ Sedis manſuetudine copioſa vobis plenius appareret, per venerabiles
fratres noſtros Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui de Terra veſtra
prædicta originem traxiſſe dignoſcitur, & quem paulo ante ad precum ve-
ſtrarum inſtantiam & ſuis exigentibus meritis in Patriarcham & paſtorē
Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ deliberatio noſtra præfecerat, necnon &
per Archiepiſcopum Rauennatenſem, & . . . . Caſtellanen. loci Diœ-
ceſanum, ac . . . . . . Ferrarienſem, & . . . . . . Paduanum Epiſco-
pos, vobis vicinum, & chariſſimum in Chriſto filios noſtros Robertum Si-
ciliæ, & Federicum Trinacriæ Reges Illuſtres, in quorum terris & regnis
nonnulli ex vobis negotiationes & mercimonia exercentes diuerſimode
morabantur, & quàmplures alios Prælatos, & etiam Nuntios antedictos,
& nonnullos Religioſos viros ſuper ijs cum efficacia multa & inſtātia pa-
ternæ dulcedinis requiri & induci fecimus, & etiam exhortari: ſed dictus
Petrus

Petrus & vos nedum quod requiſitionibus, inductionibus, & exhortationibus noſtris huiuſmodi deuotum præbuiſſetis, vt debebatis, auditum, aut veſtrum conuerteretis ad illa promptis mentibus intellectum, immo potius currum aſcendentes ſuperbiæ Pharaonis, & per huiuſmodi aſcenſionis faſtum ad nauigandum ſperantes terræ latitudinem vniuerſæ, ac peragrandum pelagus noui conatus obſtinatione deducere, eã irreuerentibus animis ſuſcepiſtis, & ſubſequenter Ciuitatem ac Nuntios antedictos, qui eam & Comitatum ac Diſtrictum eoſdem cum omni iuriſdictione, iuribus & pertinentijs ſuis noſtro & ipſius Eccleſiæ Romanæ nomine poſſidebant, ipſorumq. Ciuitatis, Comitatus, & Diſtrictus, ciues, habitatores, & homines, per terram & aquam exercitu valido congregato, cum machinis, baliſtis, alijsq. diuerſis miſſilibus, & varijs impugnationum generibus, ac ſi dies ſubuerſionis & interitionis aduenîſſet ipſorum, terribilis coarctaſtis impugnationis anguſtijs, & Monaſterijs, Eccleſijs, & alijs pijs locis armata contra ipſa impietate, crudeliter non parcentes, ac Ciuitate, Comitatu ac Diſtrictu prædictis expoſitis vaſtitati, nonnullas ipſorum domos flammarum incendijs, quàmplures prædictarum ictibus machinarum, & multas diuerſis aquarum decurſibus tamquam præuaricatorum cœtus caſui deſolationis miſerabili ſubiecîſtis, & tandem Ciuitatem ipſam cum illo immitiſſimo Rege, qui cupiditatis ſuæ prædam exquirens, vineã Prophetæ cruore poſſedit, vos auaritia ſtimulante ingreſſi fuiſtis hoſtiliter & potenter: Palatium quoque noſtrum in eadem poſitum Ciuitate, & iuriſdictionem ac dominium Ciuitatis, Comitatus, & Diſtrictus, ac Territorij prædictorum ad nos & eamdem Eccleſiam pleno iure ſpectantia inuaſiſtis indebite, & aliquandiu detinere per violentiam præſumpſiſtis, ciues Ciuitatis ipſius quamuis in hac parte vobis contradictores exiſterent, & de iure noſtro & eiuſdem Eccleſiæ Romanæ fuiſſent publice proteſtati, ditioni veſtræ de facto ſubijcientes, ac etiam ſeruituti: & Poteſtatem ac Officiales alios, qui nomine veſtro Ciuitatem, Comitatum & Diſtrictum, ſeu Territorium regerent ſæpedictos, præfatis Nuntijs ac Poteſtati, Capitaneo, alijsq. officialibus noſtris, qui noſtro & Eccleſiæ præfatæ nomine Ciuitatis, Comitatus & Diſtrictus ſiue Territorij prædictorum regimini præſidebant, excluſis protinus ab eiſdem, conſtituiſtis ibidem pro veſtræ libito voluntatis: per hæc nos & prædictam Eccleſiam, ipſosq. Nuntios & Officiales Ciuitatis, Comitatus ac Diſtrictus ſiue Territorij prædictorum, ipſorumq. iuriſdictione ac iuribus alijs & pertinentijs eorumdem, & eorum poſſeſſione vel quaſi, temere ſpoliando. Propter quod nos in die Cœnæ Domini tunc ſequenti, aſtante fidelium multitudine copioſa, præfatum Petrum, & te Ioannem Ducem præfatum, qui tunc eras vnus de prædicto Communi, quiq. per aliquod tunc præcedens tempus te geſſeras nominatim, ac Vitalem Michaelis de ipſa Terra Venetiarum, qui Ciuitatis eiuſdem tunc temporis ſe pro Poteſtate gerebat, ac vos vniuerſos & ſingulos, omneſq. alios qui auctoritate vel nomine veſtro in Ciuitate, Comitatu, ſeu Diſtrictu & Territorio ſupradictis, ſeu parte ipſorum, Capitaneatus, vel aliud quodcumque geſſerant, vel tunc gerebant offi-

cium, & illos etiam qui Ciuitatem, Comitatum, Territorium, & Diſtri-
ctum, Caſtrum ſeu fortalitium Thedaldi, Pontem, Turrim ac Palatium ſupradicta in totum vel in partem, per ſe vel per alios præter noſtram, vel dictorum Nuntiorum voluntatem detinuerant, vel etiam detinebant, & omnes alios qui prædictas occupationes, ſpoliationem ſeu ſpoliationes, deprædationes, moleſtias, iniurias, violentias per ſe vel per alios fecerant, aut fieri mandauerant, ſeu factas, ratas habuerant, ſiue ad faciendum dederant auxilium, conſilium vel fauorem publicum, vel occultum, per noſtros proceſſus publice monuimus, & attentius fuimus exhortati, dicto Petro, ac vobis & eis diſtricte mandantes, quòd ipſi, & tu Ioannes, vosq. Commune & Vitalis prædicti, & omnes alij & ſinguli qui pro vobis in dictis Ciuitate, Comitatu, Diſtrictu & Territorio morabantur, ipſos Ciuitatem, Comitatum & Diſtrictum, ſeu Territorium, Caſtrum ſeu fortalitium, Palatium, Pontem, & Turrim prædicta cum iuribus & pertinentijs ſupradictis, aliaq. bona & iura, quæ dictos Ciuitatem, & Comitatum, & Diſtrictum ac Territorium quomodolibet contingebant, reuocatis & excluſis omnibus per quos detinebatis, eadem prædictis Abbati & Decano, vel eorum alteri, aut alij vel alijs ad hoc ab eis, vel eorum altero deputando, vel etiam deputandis, infra xxx. dierum ſpatium, poſtquam huiuſmodi mandatum noſtrum ad ipſius Petri & veſtram notitiam perueniſſet, ſeu per vos ſtaret quominus perueniret, vel peruenire poſſet, vacua, libera & expedita integre reſtituere, & totaliter dimittere curaretis, nullam nobis vel eis ſuper illis in poſterum turbationem, violentiam, ſeu moleſtiam illaturi, vt quolibet impedimento ſublato, Nuntij ſupradicti noſtro & Eccleſiæ præfatæ nomine, prædictorum poſſeſſione vel quaſi poſſent gaudere libere, plene, pacifice & quiete, ac nihilominus de iniurijs, moleſtijs, violentijs & damnis eiſdem nobis, & Eccleſiæ ac Nuntijs, & ciuibus, habitatoribus & hominibus ſupradictis, & cuilibet eorumdem curaretis ſatiſfactionem plenariam exhibere. Et quia vos & dictus Petrus huiuſmodi noſtris monitis & mandatis acquieſcere non curaſtis, nec etiam obedire, vos & idem Petrus & ſinguli veſtrum excommunicationis ſententiam, cui vos & ipſe de Fratrum noſtrorum conſilio ſubiacere voluimus, & à qua præterquam à nobis vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, niſi dumtaxat in mortis articulo, non poſſetis abſolutionis obtinere beneficiũ, incurriſtis. Super qua quidem ſententia duximus declarandum, quòd ſi aliquem ab ipſa in eodem mortis articulo abſolui contingeret, licet ſatis ſuper hoc eſſet de iure prouiſum, ne tamen aliquis prætextu ignorantiæ iuris excuſare ſe poſſet, niſi in eodem abſolutionis articulo quàmprimum commode poſſet, poſtquam ad conualeſcentiam perueniret, ſuper reſtitutione ac dimiſſione, & alijs ſupradictis plenam ſatisfactionem impenderet, eamdem excommunicationis ſententiam reincideret ipſo facto. Ciuitatem quoque Caſtellanen. & Terram veſtram Venetiarum ac vos, Commune ſiue Vniuerſitatem veſtram, aliasq. Terras, Caſtra, Ciuitates, Villas, loca, & Vniuerſitates vobis & eidem Terræ Venetiarum ſubiectas, & etiam participantes vobiſcum, in pœnam veſtram Eccleſiaſtico ſubiecimus

mus Interdicto. Et quia vtilius eſurienti panis tollitur, quàm ſi de cibo ſecurus iuſtitiam vilipendat, eo caſu vobis communionem, participationem & commercium quorumlibet Chriſti fidelium, ita quòd nullus vobis bladum, vinum, carnes, pannos, ligna, vel quaſcumque res alias aut merces deferre, portare, ſeu vendere, ſiue quocumque alio modo in vos transferre, aut à vobis emere, vel delationem, venditionem, tranſlationem & emptionem huiuſmodi ſi prohibere poſſet, ſuſtinere præſumeret, ex tunc interdiximus, & penitus duximus prohibendum: In omnes contra Interdictum & prohibitionem huiuſmodi venientes, ſi perſona ſingularis exiſteret, quantacumque dignitate fulgeret, excommunicationis, ſi vero Ciuitas, Caſtrum, Villa, aut Vniuerſitas foret, Interdicti ſententiam incurrerent ipſo facto, à qua videlicet excommunicationis ſententia nullus ab alio quàm à nobis vel ſucceſſoribus antedictis, niſi dumtaxat in prædicto mortis articulo poſſet abſolui, prout in alio caſu ſuperius eſt expreſſum. Et inſuper quia beneficia propter ingratitudinem merito reuocantur, vos ſeu Vniuerſitatem veſtram, ac Terram Venetiarum, & dictum Petrum, & omnes alios & ſingulos ſupradictos omnibus priuilegijs, libertatibus, immunitatibus realibus & perſonalibus vobis & ipſi Petro ac eiſdem Vniuerſitati & Terræ ab Apoſtolica Sede ſub quacumque verborum forma, conceſſis, feudis quoque ac bonis quæ à Romana vel alijs quibuſcumque tenebatis Eccleſijs, ex tunc auctoritate Apoſtolica ſententiando priuantes, vaſſallos & homines vobis & eidem Petro & dictæ Terræ veſtræ ſubiectos à iuramento ac fidelitate & obligatione quacumque, quibus vobis & eidem Petro ac ipſi Terræ veſtræ quomodolibet tenebantur, duximus abſoluendos: volentes & auctoritate præfata ſtatuentes, quòd ex tunc eſſetis infames, ita quòd nec ad teſtimonium nec ad alios legitimos actus poſſetis admitti, eſſetis etiam inteſtabiles, vt nec poſſetis condere teſtamentum, nec ex teſtamento, vel ab inteſtato admitteremini ad ſucceſſionem aliquatenus cuiuſcumque. Nullus quoque vobis & dicto Petro ſuper quocumque negotio, ſed vos alijs cogeremini reſpondere. Cauſæ vero ad veſtram, ſeu dicti Petri audientiam, ſi iuriſdictionem aliquam haberetis, nullatenus perferrentur, nec veſtri aut ipſius Petri valerent ſententiæ vel proceſſus. Nullus quoque vobis, aut dicto Petro in quacumque cauſa vel negotio patrocinium præſtare præſumeret, nec vos aut ipſe ad patrocinandum alijs admitteremini quoquomodo: & ſi qui ex vobis officium Tabellionatus haberent, inſtrumenta confecta per ipſos aliquatenus non valerent. Filij quidem & nepotes veſtri vſque ad quartam generationem, ad nullas admitterentur dignitates, vel beneficia, ſeu officia Eccleſiaſtica, aut honores Eccleſiaſticos vel mundanos: quod ſi ſecus actum exiſteret, illud carere voluimus omni robore firmitatis. Præterea in pœnam veſtrã & ipſius Petri, dicto Epiſcopo Caſtellanen. & dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Canonicis, Monachis, & vniuerſis & ſingulis Prædicatorum, Minorum, Eremitarum ſancti Auguſtini, Fratrum etiam Carmelitarum, & aliorum quorumcumque Ordinum, & Religioſorum Prioribus, Miniſtris, Cuſtodibus, Guardianis, & alijs perſonis Eccleſiaſticis tam ſæcularibus

ribus quàm regularibus, quibuſcumquè nominibus cenſerentur, in ciuitate Caſtellana, ſeu Terra Venetiarum præfatis, vel circa ipſas ad decem milliaria commorantibus diſtricte præcepimus, vt infra decem dies, prædictos triginta dies immediate ſequentes, eaſdem Ciuitatem & Terram, eorumq. Diſtrictũ exirent, ibidem nullatenus reuerſuri donec vos dictumq. Petrum Sedis Apoſtolicæ gratiam obtinere contingeret, ipſiq. à nobis aliud reciperent in mandatis: contrarium vero facientes, excommunicationis ſententiam incurrerent ipſo facto, à qua præterquàm à nobis vel à noſtris ſucceſſoribus præfatis, niſi dumtaxat in mortis articulo, non poſſent abſolui, ſicut in alijs caſibus exprimitur antedictis, quocumque priuilegio non obſtante. Conceſſimus tamen eis quòd in Eccleſijs & domibus eorumdem, duo, tres, ſeu quatuor vel quinque aut ſex, iuxta magnitudinem ſeu modicitatem Eccleſiarum vel domorum ipſarum, conuerſi & illiterati, vel Clerici in minoribus Ordinibus conſtituti, necnon & in parochialibus Eccleſijs Parochiales Presbyteri pro miniſtrandis Baptiſmate paruulorum, pœnitentijs morientium, & alijs Sacramentis Eccleſiaſticis, quæ miniſtrantur tempore Interdicti, de iure poſſent licite remanere. Quòd ſi forte vos & dictus Petrus per xxx. dies prædictos alios triginta dies immediate ſequentes, perſiſteretis in contumacia ſupradicta, præfatum Petrum à dignitate Ducatus, ac vos & alios ſupradictos, & veſtrum & eorum ſingulos in dignitatibus ſeu officijs publicis conſtitutos, ab ipſis dignitatibus & officijs ex tunc per ſententiam noſtram deponendos duximus, & etiam remouendos: ac vos & eumdem Petrum inhabiles reddidimus ad illa, & quæcumque alia officia, publica conſilia, & honores in poſterum obtinenda: veſtraq. bona mobilia & immobilia confiſcauimus de fratrum conſilio prædictorum, ac perſonas veſtras expoſuimus fidelibus capiendas, vt capientium fieretis ſerui, bonaq. ipſa videlicet mobilia conceſſimus quibuſcumque ex eiſdem fidelibus occupanda: bonorum autem immobilium quæ vos & Petrus prædictus & ſingulares eiuſdem Terræ veſtræ perſonæ in eadem Terra ac Romaniæ & quibuſcumque alijs partibus habebatis, diſpoſitione & ordinatione nobis & eiſdem ſucceſſoribus noſtris ſpecialiter reſeruatis. Quod ſi dictus Petrus, voſq. Ioannes & Commune, ac Vitalis & alij ſupradicti, & quiuis alij moleſtias, iniurias, offenſas, violentias, deprædationes, incendia, homicidia, ſeu maleficia ſupradicta contra nos & Romanæ Eccleſiæ Nuntios, ciues, habitatores, homines, & fideles præfatos, committentes vel etiam perpetrantes, ſeu ad illa committenda vel facienda dantes auxilium, conſilium, vel fauorem, infra tres menſes à tempore quo prædictum mandatum noſtrum ad veſtram & eorum ac ipſius Petri notitiam perueniret, vel per vos aut eos ſtaret quominus perueniret, ſeu peruenire poſſet, computandos, nobis & eidem Eccleſiæ Romanæ, Nuntijs, ciuibus, habitatoribus, hominibus, & fidelibus ſupradictis ſuper præmiſſis non impenderetis ſatisfactionem plenariam: necnon & quicumque vobiſcum contumacia ſupradicta durante confederationem, ſocietatem, colligationem ſeu ligam quaſcumque faceret vel iniret, ſiue in detentione Ciuitatis & Comitatus, Diſtrictus ſeu

Terri-

Territorij prædictorum, vel quominus idem Petrus, ac vos & alij ſupradicti nobis & eidem Eccleſiæ Romanæ, ac Nuntijs, ciuibus, habitatoribus, hominibus & fidelibus ſæpedictis de Ciuitate, Comitatu, Diſtrictu ac Territorio, iuribus & pertinentijs, iniurijs, damnis & violentijs antedictis reſtitutionem & ſatisfactionem plenariam faceretis, vobis daret auxilium, conſilium vel fauorem directe, vel etiam indirecte, publice vel occulte, ſi perſonæ ſingulares quantacumque dignitate fulgerent, anathematis, ſi vero Ciuitas, Caſtrum aut Villa, Vniuerſitas, ſeu Collegium, vel Communitas foret, incurrerent Interdicti ſententias ipſo facto, à quibus vel eorum aliqua nullus abſolutionem, remotionem, ſeu relaxationem poſſet, præterquam ab eadem excommunicatione in eodem mortis dumtaxat articulo, vt in caſibus antedictis exprimitur, obtinere. Colligationes autem, confœderationes, pactiones, conuentiones, ſocietates, ſubmiſſiones & obligationes quaſcumque inter vos & dictum Petrum, ac Vniuerſitatem ſeu Commune dictæ ciuitatis Ferrarienſis, aut Ciuitates alias ſiue Vniuerſitates, vel Communitates quaſcũque factas, etiamſi eſſent promiſſione, iuramento, pœnarum adiectione, vel alia quauis firmitate vallatæ, annullauimus, caſſauimus & irritauimus penitus, & haberi voluimus pro infectis: Decernentes vt ſi quis dominium aliquod habens vel regimen, infra tempus ſui regiminis eaſdem pœnas vel ſententias aut eorum aliquã ſuſtineret, quaſi poſt tempus ipſum non eſſet ad ſatisfactionis debitum compellendus, eum qui ſatisfacere recuſaret, & ſucceſſorem ipſius in dominio vel regimine ſupradictis, ſi infra quindecim dierum ſpatium ſatiſfacere forſitan non curaret, manere ſententijs & pœnis eiſdem incluſum; & in omnibus alligatum. Et ſubſequenter veſtra contumacia exereſcente, dictos proceſſus & ſententias contra vos ac dictum Petrum, ac eamdem Terram veſtram Venetiarum, auctoritate præfata diuerſis modis duximus aggrauandos. Et inſuper dilectus filius noſter Arnaldus ſanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis tunc in partibus illis Legationis fungens officio, ac Nuntij ſupradicti per ſe & alios, præter huiuſmodi noſtros, diuerſos alios proceſſus & ſententias contra vos & dictum Petrum & eamdem Terram veſtram Venetiarum præmiſſorum occaſione ante & poſt eoſdem proceſſus noſtros diuerſis temporibus habuerunt & promulgarunt, ac ipſas etiam ſententias aggrauarunt, prout in eiſdem noſtris & Cardinalis ac Nuntiorum præfatorum proceſſibus & litteris plenius continetur: quos, vt cum illis de quibus ſcriptum eſt, Percuſſiſti eos, & non doluerunt, attriuiſti, & noluerunt recipere diſciplinam, in vobis inſenſibilitatis proprietas notaretur, animis ſuſtinuiſtis diutius induratis. Sed poſtmodum Deus & pater luminum, miſericordiarum Dominus, inſenſibilitatis præfatæ duritiam rore ſuæ infuſionis emolliens, voſq. de tenebris vocans in delectabile lumen ſuum, ſic cordium veſtrorum oculos illuſtrauit, quòd deuota pœnitudine ducti ad eiuſdem Eccleſiæ ſuæue gremium ſaniori directi conſilio redijſtis, & per dilectum filium nobilem virum Franciſcum Dandoli, & quondam Carolum Quirini de prædicta Terra Venetiarum adhuc viuentem, veſtros & dicti Petri Sindicos & Procurato-

res ad hæc pro vobis & eodem Petro & toto Diſtrictu veſtro, & ſingulis
perſonis ipſius, dictiſq. ſubditis & fidelibus veſtris, plenum & ſufficiens à
vobis & ab eo mandatum habentes, quos propter hæc ad Sedem Apoſto-
licam deſtinaſtis, ſuper prædictis exceſſibus, iniurijs, damnis, & violentijs,
occupationibus, ſpoliatione, ſeu ſpoliationibus, deprædationibus & mo-
leſtijs, ac omnibus alijs & ſingulis ſupradictis noſtram & eiuſdē Sedis gra-
tiam & miſericordiam imploraſtis humiliter, & cum multæ reuerentiæ &
deuotionis ſupplicaſtis inſtantia, quòd vos & alios dictis ligatos ſententijs
ab eiſdem abſoluere, dictoſq. relaxare proceſſus; & pœnas remittere di-
gnaremur, ſe pro vobis Petro ac alijs ſupradictis, quorum nomine Procu-
ratores erant & Sindici, vt prædicitur conſtituti, ſuper eiſdem exceſſibus,
iniurijs, violentijs atque damnis, occupationibus, ſpoliatione, ſeu ſpolia-
tionibus, deprædationibus, moleſtijs, & omnibus alijs ſupradictis, & eo-
rum quolibet, noſtris & Eccleſiæ prædictæ ſtare & parere mandatis & be-
neplacitis offerentes: Et tandem in noſtra & Fratrum prædictorum præ-
ſentia in Conſiſtorio publico, Clericorum & laicorum adſtante copioſa
multitudine conſtituti, in veſtras & Petri, ac aliorum animas præfatorum
ſuper his iuramentum ſuper ſancta Dei Euangelia ab eiſdem tacta corpo-
raliter præſtiterunt: & licet Petrus præfatus poſtmodum deceſſiſſet, di-
ctus tamen Franciſcus Sindicus, te Ioanne Duce præfato ad huiuſmodi
Ducatus dignitatem aſſumpto, ab inſtantia huiuſmodi ſupplicationis non
deſtitit, ſed continue apud Sedem Apoſtolicā moram trahens, ſuper præ-
miſſis pro vobis Ioanne Duce ac Conſilio & Commune & alijs antedictis
noſtram & Eccleſiæ præfatæ gratiam & miſericordiam vt prius ſupplici-
ter implorauit. Nos vero qui talem noſtri clementiſſimi Saluatoris, cu-
ius tenemus vices in terris, erga filios hominum nouimus pietatem, vt ne-
dum quod ipſe, qui vt miſereretur omnibus, cōcluſit omnia ſub peccato, in
puritate cordis deſpiciat pœnitentes, verum etiam ipſos cum de profun-
do malorum ad viam redeunt veritatis, deſuper abundanti miſerationum
ſuarum multitudine ſuſcipit, nec eos quantumuis exiguæ conuerſionis
mercede patitur vacuari, veſtigijs inhærentes, & illius cæleſtis patrisfa-
milias, qui de regione longinqua filio redeunti miſericordia motus occur-
rens, deſideranter in oſcula prorupit, illius exemplis ſalutaribus moniti,
& diuinis inſtitutionibus informati, vobis, quamuis grauitas exceſſuum
prædictorum grandium pœnarum acerbitatem importet, eiuſdem matris
Eccleſiæ brachia liberaliter aperimus, in amplexus & oſcula filialis dile-
ctionis occurrimus, vobiſq. ſtola prima munda & nitida renouatis, Fran-
ciſcum Sindicum ſupradictum in veſtros & veſtrum ſingulorum ſubdito-
rum ac fidelium, & Vitalis prædictorum, & vniuſcuiuſque veſtrum, & ip-
ſorum perſonas, etiam ſi perſonæ Eccleſiaſticæ forent, à dictis excommu-
nicationum ſententijs eadem auctoritate abſoluimus, & proceſſus omnes
& ſingulos, ac pœnas, ſententias, aggrauationes per nos & Cardinalem ac
Nuntios ſupradictos & quemlibet eorum, vel alium ſeu alios de mandato
ipſorum, ſeu quemuis alium contra vos & Terram, fideles & ſubditos ve-
ſtros, & Clericos ipſius Terræ veſtræ Venetiarum habitos, promulgatos &

factos,

factos,necnon & inhabilitatis notas, quas vos & ijdem fideles & ſubditi, dictæq. Terræ veſtræ Venetiarum Clerici incurriſtis,ac confiſcationes de veſtris & fidelium & ſubditorum eorumdē bonis , & interdictiones contra vos & eoſdem fideles & ſubditos occaſione præmiſſorum vt præmittitur factas,de ſpeciali gratia remittimus,tollimus,& etiam relaxamus : Voſq. & eamdem Terram veſtram Venetiarum communioni , participationi, & commercio fidelium eorumdem,omnibuſq. priuilegijs, libertatibus, immunitatibus,feudis,iuribus & bonis immobilibus quæ habebatis in dictis Ciuitate Ferrarienſi & Diſtrictu , vel alibi , ac bonis mobilibus quæ habetis,tenetis,vel poſſidetis per vos vel per alium ſeu alios vbicumque,& honoribus habilitati,famæ ac ſtatui priſtinis , teq. ſpecialiter Ducem eidem dignitati Ducatus,dictiſq. priſtinis famæ ac ſtatui,honori & alijs plene & in integrum reſtituimus,& reintegramus totaliter de gratia ſpeciali . Notarios quoque ipſius Terræ veſtræ per dictas noſtras ſententias Tabellionatus priuatos officio , ad ipſum officium plene reſtituimus , decernentes de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis inſtrumenta poſtmodum confecta per eos plenam obtinere roboris firmitatem . Vaſſallos equidem & fideles veſtros in obligationem qua tenebantur vobis tempore proceſſuum prædictorum,reponimus & reducimus , ipſoſq. illi volumus ſubiacere . Illos autem ex vobis,aut fidelibus vel ſubditis veſtris ſi quis forſitan de noſtro, aut Cardinalis,ſiue Nuntiorum prędictorum mandato vel auctoritate per quoſcumque Clericos vel laicos, Communitates, aut Vniuerſitates detineantur vbique terrarum,volumus iuxta iuris exigentiam relaxari. Cum eiſdē vero perſonis Eccleſiaſticis , quæ contra prædictos noſtros,aut Cardinalis , ſeu Nuntiorum præfatorum & quorumlibet aliorum proceſſus ratione prędictorum quauis auctoritate habitos veniendo excommunicationis ſententiam incurrerunt , ipſaq. ligati ſententia celebrando diuina , vel immiſcendo ſe illis,non tamen in contemptum clauium , irregularitatis maculam contraxerunt,ſicq. ligati ſe fecerunt ad Ordines promoueri, dummodo alias rite ſtatutis à iure temporibus ad eos Ordines ſint promoti , ſuper eadem irregularitate, & quòd in eiſdem Ordinibus licite valeant miniſtrare, & ad ſuperiores etiam promoueri , & quælibet Eccleſiaſtica beneficia cum cura vel ſine cura,etiamſi Dignitates, Perſonatus,officia vel adminiſtrationes exiſtant,non obſtantibus proceſſibus & irregularitate prædictis licite valeant obtinere, eadem auctoritate Apoſtolica diſpenſamus . Clericis autem & Religioſis præfatis qui de noſtro, vt prædicitur,ſeu Cardinalis, vel Nuntiorum præfatorū, & aliorum quorumcumque Apoſtolica vel alia quauis auctoritate ſeu mandato de dictis Ciuitate Caſtellanen. & Terra Venetiarum vel locis , vt prædicitur,ad decem milliaria eiſdem Ciuitati & Terræ propinquis receſſerunt , redeundi ad Ciuitatem,Terram & loca prædicta,ibiq. vt primitus commorandi plenam licentiam elargimur. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis,remiſſionis,abolitionis,relaxationis,reſtitutionum,reintegrationis, conſtitutionis, repoſitionis,reductionis,voluntatum,diſpenſationis, & permiſſionis &c. Si quis &c. Datum Auinione vij. Kalend. Februarij, anno octauo .

CLEMENS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI

Ad futuram rei memoriam.

DVDVM contra dil. fil. Ducem, Conſilium & Commune Venetiarum Caſtellanen. diœceſis, & ſingulares perſonas, bona, fideles & ſubditos eorumdem propter graues exceſſus per eos contra nos & Romanam Eccleſiã & Ciuitatem noſtram Ferrarienſem commiſſos, diuerſos proceſſus habuimus, & inter alias quas in eos & ſingulares perſonas ipſorum, ac participantes cum eis, ſeu contra huiuſmodi proceſſus noſtros quomodolibet venientes protulimus, excommunicationis ſententiam duximus proferendam: volentes quòd filij & nepotes ipſorum vſque ad quartam generationem eſſent inhabiles ad beneficia, & dignitates, perſonatus, & officia Eccleſiaſtica obtinenda, nec ad aliquos admitterentur honores Eccleſiaſticos vel mundanos, decernentes irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam contingeret attentari. Demum vero nonnullæ perſonæ Eccleſiaſticæ de prædicta Terra Venetiarum contra dictos proceſſus noſtros temere venientes, & aliàs cum Venetis participantes eiſdem, huiuſmodi excommunicationis ſententiam incurrerunt, & ſubſequenter eadem excommunicationis ſententia ligatæ, celebrando diuina, vel immiſcendo ſe illis, irregularitatis maculam contraxiſſe noſcuntur: Cumq. poſtmodum Dux, Conſilium & Commune præfati ſaniori ducti conſilio ad noſtra & ipſius Eccleſię mandata humiliter redeuntes, & per nos ſuper eiſdem proceſſibus, ac excommunicationis & alijs ſententijs ſupradictis eis & participantibus memoratis, etiamſi participantes ipſi perſonæ Eccleſiaſticæ forent, beneficio abſolutionis impenſo, dictiſq. perſonis Eccleſiaſticis ſuper huiuſmodi irregularitate diſpenſatione conceſſa, ac eis & eorum ſingulis, etiamſi perſonæ Eccleſiaſticæ forent, remiſſis inhabilitatibus, quas incurriſſent prætextu proceſſuum prædictorum, pro parte Venetorum ipſorum per dil. fil. nobilem virum Franciſcum Dandoli de dicta Terra Venetiarum Sindicum & Procuratorem eorum, fuit nobis cum multa inſtantia ſupplicatum, vt perſonis Eccleſiaſticis antedictis, quoad retentionem beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ ipſis durantibus proceſſibus, ſententijs, irregularitate, & inhabilitate prædictis collata fuerunt, ſubuenire de Apoſtolicæ prouiſionis remedio dignaremur. Nos igitur eorum ſupplicationibus inclinati, eiſdem perſonis, & earum ſingulis prædicta beneficia, etiamſi Dignitates, Perſonatus, vel officia cum cura vel ſine cura fuerint, cum omnibus iuribus & pertinentijs ſuis, dummodo aliàs eis collata, vel perſonæ ipſæ ad præſentationem aliorum qui ius in eis præſentandi habere noſcuntur, inſti-

inſtituta canonice fuerint in eiſdem, de nouo Apoſtolica auctoritate conferimus, & de illis etiam prouidemus. Electiones autem & poſtulationes, ſi quæ de perſonis eiſdem vel aliquibus earumdem ad beneficia Eccleſiaſtica, Dignitates, Perſonatus vel Officia, ad quæ perſonæ quæ illis præficiuntur, interdum conſueuerunt per electionem aſſumi, etiamſi Dignitates Pontificales exiſtant, & in locis forſan interdictis,dum tamen aliàs ſint iuxta ſanctiones Canonicas celebratæ, & quidquid in eis vel ob eas ſecutum eſt, illam habere decernimus roboris firmitatem, quam haberent ſi perſonæ ipſæ tempore dictarum electionum & poſtulationum ligatæ proceſſibus & ſententia excommunicationis & irregularitate prædictis, & ad illa recipienda inhabiles non fuiſſent, nec extitiſſent in locis interdictis electiones & poſtulationes huiuſmodi celebratæ, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper eiſdem per nos collatis beneficijs, dignitatibus, perſonatibus & officijs à quoquam ſcienter vel ignoranter quauis auctoritate contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis & conſuetudinibus contrarijs Eccleſiarum,in quibus huiuſmodi beneficia, dignitates vel perſonatus,ſeu officia per nos vt præmittitur,collata fuerint,iuramento,confirmatione Sedis Apoſtolicæ,ſeu quacumque firmitate alia roboratis, aut ſi aliqui ſuper prouiſionibus ſibi faciendis de Dignitatibus vel Perſonatibus,ſeu officijs & beneficijs Eccleſiaſticis in dictis Eccleſijs ſpeciales, vel in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum eius litteras impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitiones, reſeruationem & decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum: quibus omnibus in aſſecutione Dignitatum, Perſonatuum, Officiorum & beneficiorũ huiuſmodi perſonas prædictas volumus anteferri,ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem aliorum Dignitatum,vel Perſonatuum,ſeu officiorum ac beneficiorum præiudicium generari, ſeu ſi locorum Ordinarijs & Capitulis præfatarum Eccleſiarum vel quibuſuis alijs communiter vel diuiſim à prædicta ſit Sede indultum,quòd ad receptionem vel prouiſionem alicuius minime teneantur, & ad id compelli non poſſint, quòdq. de Dignitatibus vel Perſonatibus,ſeu Officijs ac beneficijs earumdẽ Eccleſiarum, & alijs ad eorum collationem vel prouiſionem ſeu præſentationem, aut quamcumque aliam diſpoſitionem coniunctim vel ſeparatim ſpectantibus nullus valeat prouideri per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, & qualibet alia prædictæ Sedis indulgentia generali vel ſpeciali, cuiuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam,vel totaliter non inſertam, effectus huiuſmodi gratia impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cuiuſque toto tenore habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis, aut ſi perſonæ prædictæ præſentes non fuerint ad præſtandum de obſeruandis ſtatutis & conſuetudinibus prædictarum Eccleſiarum ſolitum iuramentum, dummodo in abſentia ſua per procuratores idoneos, & cum ad Eccleſias ipſas acceſſerint corporaliter illud præſtetur. Nulli ergo &c. collationis, prouiſionis, & conſtitutionis &c. Datum Auinione vij. Kalend. Februarij, anno octauo.

SIXTI
PAPAE IIII.

Declaratio & promulgatio Excommunicationis, Interdicti, & aliarum cenſurarum contra Venetos, qui ciuitatem Ferrarienſem hoſtiliter inuaſerant, & multa illius Ducatus loca occupauerant.

ROMAE
Ex Typographia Vaticana.
Anno . M DC VI.

SIXTVS EPISCOPVS
SERVVS SERVORVM DEI
Ad futuram rei memoriam.

AD bonorum tutelam, & malorum perniciem & vindictã iuſtitia cælitus emanauit, vt qui virtutis amore ad ea quæ ſua non ſunt, manus extendere non formidant; ſaltem pœnæ formidine arceantur. Dudum ſiquidem, dum ad apicem ſummi Apoſtolatus fuimus diuina diſponente clementia meritis licet inſufficientibus aſſumpti, mente reuoluentes calamitates, quas Chriſti fideles pertulerant cauſantibus guerris, & diſſenſionibus eorumdem: & quod Dominus noſter IESVS Chriſtus Dei filius, cuius vices gerimus in terris, poſt peractum inter homines noſtræ redemptionis ſalutiferum curſum, cum ex hoc mundo ad patrem aſcenſurus eſſet, pretioſum ſuis diſcipulis & perpetuo obſeruandum iocale reliquerat in diſceſſu, pacem videlicet, qua nihil dulcius, nihilq. deſiderabilius eſt: eius ſaluberrimo exemplo edocti, ad pacem & concordiam procurandam inter vniuerſos Chriſtianæ religionis profeſſores omnes noſtros conuertimus cogitatus. Et hoc incenſi ſtudio non ſolum Italiam, accerſitis ad nos ſæpius illius Potentatuum oratoribus, ad mutuam animorum coniunctionē excitauimus, ſed etiam Tranſalpinos Principes, & remotiſſimas nationes miſſis ad id Legatis & Nuntijs noſtris monuimus, & tandē pro inſtanti temporis neceſſitate omnes Chriſtianorum Principes & Potentatus ac vniuerſos Chriſti fideles Eccleſiaſticos & ſæculares cuiuſcumque præeminentiæ & dignitatis exiſterent per alias noſtras litteras monuimus, & mandauimus eiſdem, vt mutuam inter ſe charitatem, & pacem ac concordiam, vel ſaltem per triennium, infra quod adhuc ſumus, treugas, inducias ſeu belli moram, quas per eaſdem litteras auctoritate omnipotentis Dei pro defenſione & ſecuritate Dominici gregis, quem Saluator noſter paſcendum, tuendum atque curandum nobis commiſerat, indiximus, & per vniuerſos Chriſtianos ſeruari voluimus, obſeruarent, arma deponerent, & priuatarum iniuriarum obliti, Chriſti redemptoris noſtri iniurias, offenſiones, & opprobria vlciſcerentur, ac in infideles qui Chriſtianorum omnium ſanguinem ſitiebant, & Euangelicam legem delere conabantur, arma ſumerent. Et vt id liberius facere poſſent; eos cum eorum ſtatu, Ciuitatibus, Terris, dominijs, ſubditis, territorijs, ac bonis omnibus ſicut ea tunc tenebant & poſſidebant, ſub beatorum Petri & Pauli ac Romani Pontificis protectione recepimus atque noſtra, ita vt eis per ſe ipſos vel alios quæ mandabantur per nos implentibus, plena ſecuritate & quiete gauderent, omnibus quoque cuiuſcumque ſtatus & conditionis exiſterent, ac quacumque dignitate præfulgerent, auctoritate Dei omnipotentis

diſtrićte præcipiendo mandauimus, ne durante dićto triennio, quouis quæſito colore direćte vel indirećte, palam vel occulte quemquam ex eiſdem Principibus aut perſonis prædićtis offenderent, aut offendentibus præſtarent auxilium, conſilium, vel fauorem, ſeu vt Ciuitates, Terræ, & loca vni Principi ſubiećta ab illius, cui ſuberant, obedientia quomodolibet ſe ſubtraherent, vel ab alijs ſubtraherentur, aut aliàs illa obtinentes in illorum regimine perturbarentur, ſeu quod in eis aliquid innouaretur procurarent: affirmauimus quoque quod nos contra omnes & ſingulos quos arma ſumere, & indićtas per nos auctoritate Dei omnipotentis inducias huiuſmodi violare, ac noſtris inhibitioni & mandatis prædictis contrauenire contingeret, per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia iuris remedia quauis appellatione remota vſque ad ſatiſfactionem condignam omnino procederemus, eosq. perſequi, & ad eorum perſecutionem alios inducere non ceſſaremus, vt illos in quorum præiudiciũ aliquid foret attentatum, pro poſſe indemnes conſeruaremus, non ſecus quã ſi talia contra nos & Sedem Apoſtolicam, ac loca ditioni dićtæ Sedis ſubiećta attentata forent, prout in eiſdem litteris plenius continetur. Et quamquam iure optimo poſſemus nonnullos ſubditos noſtros qui contra nos grauiter deliquerant, punire, tamen ne vlla pacis turbandæ occaſio daretur, omnium iniuriarum obliuiſci, & illis parcere maluimus. Denique hæc omnia pro pace ordinaueramus, ſed inimico humani generis & ſatore zizaniæ procurante, dilećti filij nobilis vir Ioannes Mocenigo Dux, ac Conſilium & Commune Venetiarum (quibus nulla gerendi belli occaſio antea data fuerat) propugnacula quædam erigendo primi contra mandata noſtra prædićta venire, & huiuſmodi pacem in Italia turbare cœperunt. Et cum dilećtus filius nobilis vir Hercules Dux Ferrarienſis propugnacula huiuſmodi intra Ferrarienſis territorij fines ad quintum ferme miliare conſtrućta fuiſſe conquereretur, Nos qui adduci non poteramus ad credendum eoſdem Venetos, quos noſtrarum rerum atque honoris noſtri, & ſanćtæ Sedis Apoſtolicæ defenſores non offenſores reputabamus, præmiſſa in noſtrum contemptum, & pœnarum Apoſtolicarum eluſionem feciſſe, eos ad remouendum propugnacula prædićta enixe hortati fuimus. Qui intra ſuos fines & terminos illa conſtituiſſe, & Ferrarienſem Ducem præfatum pacta à maioribus ſuis ſeruata violare, & ſeruare nolle reſponderunt, nobisq. ſuaſerunt nulla ratione in bellum aut in Ferrariam occupandam, ſed in fines ſuos & iura tutanda animum habere. Quamobrem cum propter ipſorum propugnaculorum conſtrućtionem innouatum fuiſſe diffiteri non poſſet, quamuis ad cenſurarum & pœnarum in litteris noſtris præfatis contentarum promulgationem procedere potuiſſemus, & vt id per nos fieret pro parte eiuſdem Ducis Ferrarienſis cum inſtantia requiſiti fuiſſemus: tamen cupientes huiuſmodi diſcordias paterna charitate ſopire, & ignem extinguere non augere, exhortati fuimus ipſum Ducem Ferrarienſem ad pactorum ſicuti maiores ſui fecerant obſeruationem, qui eadem illa ſe obſeruaturum Venetis præfatis obtuliſſe reſcripſit. Et cum ipſi Veneti non eo modo Ducem ipſum Ferrarienſem eis obtuliſſe nobis ſignificaſſent, ne quid ad compoſitionem inter eos faciendam deeſſet, miſimus eiſdem Venetis verborum formam in ſcriptis, quam ipſe Dux Ferrarienſis

obſeruaſſe

obſeruaſſe & obſeruare velle nobis ſcripſerat. Quod ab eiſdem Venetis denegabatur, & ob id ipſius Ducis Ferrarienſis & Potentatuum Italiæ cum quibus confederatus erat, Oratores ad nos & Sedem Apoſtolicam deſtinati promiſſionem huiuſmodi ſub eorumdem verborum formula in Conſiſtorio noſtro ſe facturos obtulerunt, litteraſq. eorumdem Potentatuum Italiæ, & Ducis Ferrarienſis confederatorum attulerunt. Qui ad nos ſacrumq. Collegium venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Card. omnes huiuſmodi controuerſias retulerunt, pollicentes quidquid à nobis deciſum ſuper his fuiſſet, Ducem ipſum Ferrarienſem expleturum. Veneti vero ſæpius à nobis rogati vt idem facerent, quod ſane omni ratione facere debuiſſent, facere noluerunt, affirmantes ſe in rebus Ferrarienſibus nullum recognoſcere ſuperiorem, quod tametſi contra honeſtatem, contra iura, & ſanctorum Patrum decreta in noſtrum contemptum, ac noſtræ auctoritatis & iuriſdictionis diminutionem plane eſſet: quia tamen ipſi Veneti inde nullum bellum, ſed concordiam ſequi debere nobis perſuadebant, tolerauimus, atque eos quanto potuimus hortari nō ceſſauimus ad beneuolentiam reintegrandam cum Duce ipſo Ferrarienſi, ad quam ipſe Dux ſe offerebat. Et vt nihil omitteremus quod eorumdem honori & quieti Italiæ expediret, noluimus ad cenſuras & executionem litterarum prædictarum progredi, quoniam concordiæ & belli minime faciendi Veneti præfati nobis ſpem certam dabant, in qua cum eſſemus, & eoſdem Venetos ad mittendum nobis iura ſua in præmiſſis hortaremur, contra eumdem Ducem Ferrariæ, contra iuſtitiam, contra nos quos bellum abhorrere ſciebant, contra Romanam Eccleſiam, cuius iuris ciuitas Ferrarienſis exiſtit, nobis penitus inſcijs aperto marte impia arma mouerunt. Dilectus vero filius nobilis vir Alphonſus Dux Calabriæ dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Elionoræ Duciſſæ Ferrariēſis frater pro liberatione cognati, ſororis & filiorum eorumdem ab ipſorum Venetorum oppreſſione ad Territorium Ferrarienſe cum ſuis gentibus & armigeris ſe transferre volens, à nobis tranſitum petijt per terras præfatæ Eccleſiæ. Poteramus ei ad propulſandum iniuriam per eoſdem Venetos eidem Duci Ferrarienſi illatā proficiſcenti iure optimo per vrbes, agroſq. noſtros tranſitum dare. Non fecimus tamen, immo tranſitum ei penitus denegauimus: quia dilectus filius Franciſcus Diedus ciuis Venetiarum orator ad nos & Sedem prædictam deſtinatus eorumdē Venetorum nomine nobis perſuaſit concordiam cito peruenturam inter eos, & Ducem Ferrarienſem: quodq. ipſi Veneti præmiſſa contra eumdem Ducem Ferrarienſem attemptauerunt, vt Ducem ipſum Ferrarienſem facilius ad concordiam adducerent, non vt bellum excitarent, ac Italicam quietem & pacem perturbarent. Sed cōpoſitio aliqua ſecuta non fuit, immo ſubito Veneti præfati per eorū terreſtrem exercitum, & naualem claſſem cœptum per eos bellum contra ciuitatem Ferrarienſem, & illius Ducem præfatos acerrime proſequi, pleraq. oppida ipſius Ducis expugnare, multa ferro & igni vſque ad mœnia eiuſdē ciuitatis depopulari & conflammare, ac denique ciuitatem eamdem obſideri fecerunt: Noſq. pro eo quia Venetis fauere dicebamur, in noſtris ciuitatibus, terris & locis grauia & intolerabilia damna, etiam occupationes

ciuitatum

ciuitatum & terrarum noſtrarum pertulimus, nec tamen vmquam ceſſauimus omni nobis poſſibili via eoſdem Venetos ac alios Italiæ Potentatus ad communem intelligentiam, pacem, & mutuam charitatem pro poſſe inducere,& exquirere media per quæ pax concludi poſſet. Et quanto magis Venetos præfatos omnia eorum ſtudia omnemq. conatum non vt à principio dicebant ob ſuorum finium conſeruationem, ſed ad Ferrariam, & reliqua loca dominij eiuſdem Herculis Ducis diripienda conferre manifeſte videbamus,tanto plus reliquos Potentatus ad optatam per nos vniuerſalem Italiæ pacem inducere, & eiuſdem pacis concluſionem accelerare conabamur. Cumq. tandem Deo auxiliante reliquos Italiæ Potentatus ad conuenientia media pacis huiuſmodi induxiſſemus, Venetis præfatis de quibus ſperabamus quotiens vellemus,prout ſæpius per eorum Oratorem præfatum obtulerant pro communi Italiæ & Reipublicæ Chriſtianæ bono, vt de filijs obſequentibus decernere poſſe,ita vt quando ceteris Italiæ Potentatibus pacem ipſam ſocietatemq. conficiendam perſuaſiſſemus, videremur ſic omnia conſecuti, vt ad eamdem ipſam præclariſſimam rem conficiendam nihil nobis relinqueretur difficultatis, nihilq. negotij, vt media honeſta pacis huiuſmodi amplecterentur, perſuadere nequiuimus: proceſſimusq. tandem ad eiuſdem pacis concluſionem, locum relinquentes eiſdem Venetis, vt ſi vellent, poſſent pacem ipſam honeſtis conditionibus amplecti, eisq. ſcripſimus paterna charitate cauſas, non minus iuſtas quàm neceſſarias, quæ nos pro totius Italiæ reiq. publicæ Chriſtianæ incolumitate ad pacem componendam impellebant, hortantes eos vt eamdem ſuſciperent, & à bello abſtinerent; ac occupata reſtituerent, obtulimusq. eis omnem illorum & Ducis Ferrarienſis controuerſiam iuſtitia mediante ſopire. Ipſi vero reſponſiuas litteras dederunt longe aliter ſcriptas quàm legere ſperaremus, Ferrarienſe bellum varijs fucantes coloribus, quæ ideo nos moleſtia doloreq. ſummo affecerunt: quia mentem animumq. eorum à pace ac ſocietate quam publicam in Italia conficere ſtatueramus, alienum eſſe, eosq. vehementer id abhorrere ſignificarunt.Et quamquam ſtatuiſſe bellum proſequi velle ſic aperte nobis ſcripſiſſent: decreuimus eos adhuc alijs noſtris litteris ad pacem amplectendam, bellumq. Ferrarienſe deſerendum inuitare, & aſſumptos per eos colores in id negando confutare, eosq. paterna vt ſemper fecimus charitate monuimus, vt accuratius ad ea omnia quæ ſcribebamus, animum ex religione conuerterent, nec eos dominandi libido e ratione deduceret. Nam & ſi victoriam in manibus haberent, vt eorum ad nos litteris affirmabant, eo maior honos & laus eis foret, ſi communem pacem omnibus alijs poſtpoſitis amplecterentur. Contra vero ſi bellum proſequerentur, vti decreuiſſe ſtatuiſſeq. affirmabant, eos ſcire debere ſe bellum gerere cum Chriſto Ieſu Deo noſtro, & eius ſancta Eccleſia, pro cuius honore & defenſione Ferrariæ rebus omnibus diuinis & humanis adeſſe curaremus, gererentq. bellum etiam cum reliquis Italiæ Potentatibus,qui Eccleſiam Dei & Italiam ipſam per eoſdem labefactare non ſinerent, haberentq. quoque cauſam iniuſtam,& bellum illicitum: Nos vero è contra iuſtitiam foueremus; & cum totam Italiam contra ſe accenſam prouocaſſent, niſi à tanto facinore deſi-

ſterent,

ſterent,& occupata reſtituerent, prout eis perſuadebamus, eſſent Chriſtianis omnibus deriſui pariter & odio: omnes enim eos alienarum rerum occupatores,non ſuarum defenſores vere dicerent. Suaſimus praeterea eis, vt memores eſſent Luciferum praefectionem, ſublimitatem, dignitatem ac excellentiam ſuper omnes Angelos ante lapſum habuiſſe, & cum ſuperbia elatus voluiſſet exaltari, humiliatum ac depreſſum fuiſſe vſque in profundum abyſſi: & vt in mente haberent verbum Saluatoris noſtri, Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare: Quodq. in die Coenae Domini omnes qui ciuitatem noſtrā Ferrarienſem praedictam occupare niterentur,per nos ac praedeceſſores noſtros Romanos Pontifices excommunicati & anathematizati fuerant. Suaſimus etiam eis ne iactabunde dicerent victoriam in manibus habere. Nam hanc dabat adimebatq. ſolus Deus immortalis,cuius cauſa agebatur. Ex quo facile fieri poſſe videbatur, vt & ipſi qui viciſſe aſſerebant, breui tempore amiſiſſe viderentur: & quantum progreſſi vltra forent, tanto regredi cogerentur. Et denique hortati fuimus eos, & requiſiuimus ac monuimus in Domino,vt cogitationes iſtas inanes deponerent,cupiditates effrenes compeſcerent, arma reuocarent, Ferrariam dimitterent,caſtella per eos capta reſtituerent, quod ſuum eſt poſſidendum cuiq. tranquille relinquerent, & pacem Italiae amplecterentur, ſicq. rei ſuae totiusq. Italiae quieti conſulerēt; alioquin non diſſimularemus amplius ſpiritualibus & temporalibus armis procedere contra eos, vti nobis expediens videretur, & iuſtitia ſuaderet, quia iſta eorum dominandi libido inhumana nimium, & à Chriſtiana religione aliena ferenda non erat: Nosq. pacem publicam in Italia vigere omnino volebamus, vt ſimul bellorum iniurias caueremus, ſimul quieti reſtitueremus omnes, & Reipublicae Chriſtianae vnitis viribus contra immaniſſimos hoſtes conſuleremus. Veneti vero praefati in eorum propoſito perſeuerantes, noſtris perſuaſionibus huiuſmodi annuere nullatenus voluerunt, & immemores, quod ſancta Romana Eccleſia eos ſemper dilexit vt filios, ac multis priuilegijs & gratijs inſigniuit, coeptum per eos bellum contra Ferrariam, immo contra nos & praefatam Eccleſiam, cuius nomen in omni prouincia,in qua Apoſtolicae praedicationis ſonus exiuit, celeberrimum habetur, adeo vt etiam Barbaris gentibus ſit terrori, proſequi non ceſſarunt, nec ceſſant. Nos igitur praemiſſis omnibus debita meditatione penſatis,non valentes vlterius eorumdē Ducis,Conſilij & Communis Venetiarum auſus huiuſmodi, & tam manifeſtum Eccleſiae praefatae, ac totius Italiae praeiudicium ſub diſſimulatione tranſire, ac inhaerentes veſtigijs felicis recordationis Clementis Papae Quinti praedeceſſoris noſtri, qui contra eoſdem Venetos, pro eo quia praefatam Romanā Eccleſiā poſſeſſione ciuitatis praedictae Ferrarienſis ſpoliauerant,& ciuitatem ipſam occupauerant,atque occupabāt,excommunicationis,interdicti & anathematis ac aeternae maledictionis,necnon priuationis & inhabilitationis Eccleſiaſticas ſententias,cenſuras,& poenas apud Auinionem in Coena Domini promulgauit, & brachiū ſaeculare inuocauit,eorum bona omnia capientibus in praedam conceſſit, ac voluit eos fieri ſeruos capien-

pientium eoſdem, prout in eiuſdem prædeceſſoris litteris plenius continetur, licet abſque alia monitione & vlteriori dilatione iuſte poſſimus animaduertere in eoſdem Venetos, qui Italicam pacem inuiolare, & Ferrariam noſtram inuadere, contra priores & in Cœna Domini publicatas alias noſtras litteras prædictas præſumpſerunt: & repetitis litteris noſtris moniti & requiſiti vt deſiſtant, id facere aperte denegarunt, & denegant, bellumq. ipſum prout ex decreto ac ſtatuto proſequendum eſſe ſcripſerunt, proſequuntur: Nihilominus volentes de ſolitæ Sedis Apoſtolicæ benignitatis affectu adhuc experiri, ſi aliqua in eis ſcintilla deuotionis & obedientiæ remanſerit, & eos vt oues errantes ad ouile humilitatis humeris reportare, ac ſummi Dei exemplo in benigniorem partem inclinare, habita ſuper his cum præfatis fratribus noſtris deliberatione matura, de illorum conſilio præfatos Ioannem Mocenigo Ducem, & tam Rogatorum, quam generalis nuncupati Conſilij Conſiliarios, ac Commune Venetiarum vniuerſaliter, & ſingulariter ſingulos eorumdem Conſiliorum & Communis ciues, ac qui exercitus eorum contra ciuitatem præfatam Ferrarienſem, immo contra nos & præfatam Eccleſiam prouiditiores exiſtũt, & quorum nomina & cognomina ac deſignationes opportunas pro expreſſis habemus, ciues Venetiarum, necnon qui eiuſdem exercitus ductor & Capitaneus fuit & eſt, Robertum de ſancto Seuerino, omnesq. & ſingulos qui in locis ditionis dicti Herculis Ducis aliquod gerunt officium, ſeu immorantur nomine eorumdem Venetorum, & quoſcumque alios qui eiſdem Duci, Conſiliarijs & Communi ad huiuſmodi belli proſecutionem præſtant quomodolibet auxilium, conſiliũ, vel fauorem directe vel indirecte, publice vel occulte, eorumq. complices & adhærentes exiſtunt, cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis & præeminentiæ ſint, ac quacumque dignitate & auctoritate præfulgeant, præfata auctoritate hortamur in Domino, requirimus, & monemus, ac ipſis & cuilibet eorum per hæc Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus infra quindecim dies poſt affixionem præſentium in valuis baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe immediate ſequentes, quorum quinque pro primo, quinque pro ſecundo, & reliquos quinque pro vltimo & peremptorio termino canonica monitione præmiſſa eis & cuilibet eorum aſſignamus, Dux, Conſiliarij, Commune, Prouiditores, Capitaneus, & alij qui pro eis in dictis locis immorantur, à belli huiuſmodi vlteriore proſecutione, & omni hoſtili incurſu in locis ditionis dicti Herculis deſiſtant, occupata per eos dicti Ducis Caſtra, Terras & loca quæcumque cum ſuis iuribus & pertinentijs, & quæcumque alia bona & iura quæ dictum Herculem Ducem, & loca ſuæ ditionis contingere quomodolibet dignoſcuntur, præfato Herculi Duci plene & integre reſtituant, ac reuocatis exinde & excluſis eorum gentibus & armigeris, ac cunctis per quos infeſtantur & detinentur, ea omnia dimittant, & dimitti faciant vacua, libera, & penitus expedita, ita vt Hercules Dux præfatus quocumque eorumdem Venetorum impedimento ſublato, Comitatum, diſtrictum, caſtra, & loca ipſa poſſidere valeat libere, pacifice, & quiete, prout

face-

facere ſolitus erat ante propugnaculorum erectionem prædictam, nullam ſuper illis vel eorum aliquo, præfato Herculi Duci moleſtiam ſeu violentiam illaturi deinceps, conſultores vero, auxiliatores, adhærentes, complices, & ſequaces à præſtatione auxilij, conſilij, vel fauoris huiuſmodi omnino ceſſent. Et ſi Dux, Conſiliarij, Commune, Prouiditores, Capitaneus, immorantes, conſultores, fautores, complices, ſequaces, & adhærentes exhortationi, requiſitioni, monitioni, & mandato noſtris huiuſmodi infra dictos quindecim dies non paruerint cum effectu, in eoſdem Ioannem Mocenigo Ducem, Rogatorum, & generalis Conſilij Conſiliarios, ac alias ſingulares perſonas Communis præfati Venetiarum, necnon Prouiditores, Capitaneū, immorantes, fautores, conſultores, adhærentes, complices, & ſequaces, ac quemlibet eorum, qui ſic non paruerint, aut vt non pareatur, ſeu pareri differatur, conſuluerint, ſuaſerint, fecerint, dixerint, vel procurauerint, ſeu alias qualitercunque in hoc culpabiles fuerint, directe, vel indirecte, tacite vel expreſſe, ex nūc prout ex tunc de eorumdē Fratrum conſilio maioris excommunicationis ſententiā promulgamus, & eos illam incurrere volumus eo ipſo, à qua præterquam in mortis articulo conſtituti, ab alio quam Romano Pontifice etiam prætextū cuiuſlibet facultatis cuicumque pro tempore deſuper cōceſſæ, nequeant abſolutionis beneficium obtinere: Ita vt ſi quem eorum tamquam in tali articulo conſtitutum abſolui contingat, qui poſtmodum conualuerit, in eamdem excommunicationis ſententiam reincidat eo ipſo, niſi poſt conualeſcentiam monitioni & mandato noſtris prædictis paruerit cum effectu. Et ſi moniti & excommunicati præfati dictam excommunicationis ſententiam per alios tres dies dictos quindecim dies immediate ſequentes animo, quod abſit, ſuſtinuerint indurato, ſententiam ipſam aggrauamus, & ex nunc prout ex tunc Venetiarum, Paduanam, Veronenſem, Vicentinam, Brixienſem, Teruiſinenſem, Pergamenſem, reliquasve à Venetis præfatis tenta & poſſeſſa, Ciuitates, Terras, Caſtra & loca quæcumque citra & vltra mare, ac in maritimis inſulis conſiſtentia, & generaliter loca quæcumque etiam ab eiſdem Venetis non poſſeſſa, ad quæ aliquē eorumdem excommunicatorum declinare contigerit, quamdiu in illis permanſerit, & triduo poſt receſſum eiuſdem, ac quæ in illis ſunt Eccleſias & monaſteria ac religioſa & pia loca quæcumque de eorumdem Fratrum conſilio præfata auctoritate Eccleſiaſtico ſubijcimus interdicto, ita vt illo durante in illis etiam prætextu cuiuſuis etiam Apoſtolici indulti perſonis, ordinibus, vel locis cōceſſi, præterquam in caſibus à iure permiſſis, & etiam in illis alias quàm clauſis ianuis, ac excommunicatis & interdictis excluſis, nequeant Miſſæ & alia diuina officia celebrari. Si vero moniti, excommunicati, & interdicti præfati per alios tres dies dictos vltimos tres dies immediate ſequentes ad cor reuerti, occupata reſtituere, & à bello deſiſtere, ac noſtris monitioni & mandatis prædictis obtemperare diſtulerint, & in ſua voluerint cordis duritia & peruerſa obſtinatione permanere, eos & quemlibet eorum reaggrauationis, anathematizationis, & æternæ maledictionis, ac perpetuæ damnationis cum Dathan & Abiron,

quos viuos terra abſorbuit, irretitos mucrone ligamus, ac ligatos & irretitos eſſe decernimus ipſo facto. Eoſdemq. Io. Mocenigo Ducem, Conſiliarios Rogatorum & generalis Conſilij, ac alias ſingulares perſonas Communis Venetiarum, Prouiditores, Capitaneum, immorantes fautores, adhærentes, complices, & ſequaces, reliquosve monitos prædictos, excommunicatos, aggrauatos, interdictos, reaggrauatos, anathematizatos, & maledictos vt præfertur in eorum proteruia perſeuerantes, reos criminis læſæ maieſtatis dicta auctoritate decernimus, ac Io. Mocenigo Ducatu Venetiarum, & ipſum, necnon Conſiliarios, Prouiditores, Capitaneum, & alios monitos, dignitatibus & honoribus in quibus conſtituti exiſtunt, & tam ipſos in ſpecie, quàm præfatos Commune Venetiarum, priuilegijs, conceſſionibus, gratijs & indultis, necnon bonis omnibus quæ in feudum, vel emphiteoſim ſeu aliàs à Romana vel alijs Eccleſijs, monaſterijs & locis Eccleſiaſticis obtinent, ita vt illi ad quos pertinent, de eis vtpote ad ipſos libere reuerſis poſſint pro ſua voluntate diſponere, necnon Commune præfatum iure ſi quod eis competit in Paduana, Veronenſi, Vicentina, Brixienſi, Taruiſina, Pergamenſi, ac alijs Ciuitatibus, Terris, & locis eorum ditioni obtemperantibus, ac alijs eorum bonis dicta auctoritate priuamus, ita vt nihil ex illis tranſmittatur ad poſteros, & ipſos ſic priuatos reſpectiue ad illa & alia quæcumque dignitates, adminiſtrationes, & officia ſæcularia in poſterum obtinenda inhabilitamus, eorumdemq. monitorum ſubditos, vaſſallos, & feudatarios, ac præſertim Paduan. Veronen. Vicentin. Brixien. Taruiſinen. Pergamen. aliarumq. Ciuitatum, Terrarum, & locorum huiuſmodi ciues, incolas, & habitatores, ac fortalitiorum, & arcium in eis conſiſtentium, Caſtellanos, & Cuſtodes, à quorumuis fidelitatis iuramentorum per eos dictis monitis non parentibus præſtitorum obſeruatione, iure vaſſallatico, & ſubiectione abſoluimus, & penitus liberamus: & vt alij eorum exemplo perterriti ſimilia non attemptent, volumus & de ſimili conſilio dicta auctoritate decernimus, quòd Ioan. Mocenigo Dux, & alij ſic moniti, excommunicati, interdicti, iteratis vicibus aggrauati, anathematizati, maledicti, & priuati, ſi in ſuo peſſimo propoſito turbandi quietem Italicam, & occupandi ciuitatem prædictam Ferrarienſem perſeuerauerint, ex tunc infames exiſtant, & ad teſtimonium non admittantur, teſtamenta & codicillos condere, & ad alicuius ſucceſſionem ex teſtamento vel inteſtato peruenire non poſſint. Etſi iuriſdictionem habeant, cauſæ ad eorum examen non deducantur, nec valeant eorum ſententiæ vel proceſſus, nullus pro eis, nec ipſi pro alijs in quacumque cauſa procurare poſſint, & ſi qui eorum Notarij exiſtant, inſtrumenta per eos conficere non valeant, ſed cum auctore damnato damnentur. Eorum debitores ab his quæ eis debent liberati exiſtant. Nulli eis, ſed bene ipſi alijs ſuper quocumque negotio de iure reſpondere teneantur: filij quoque & nepotes, alijq. deſcendentes eorumdem vſque ad quartam generationē Eccleſijs, monaſterijs, Canonicatibus, dignitatibus, & alijs beneficijs & officijs Eccleſiaſticis quæ eos tunc obtinere contigerit, ſine ſpe reſtitutionis eo ipſo ſint priuati. Et ipſis ac

ſis ac alijs natis tunc, & qui poſtmodum naſcentur vſque in generationem prædictam ad illa, quibus ſic priuati forent, & alia Eccleſias, monaſteria, dignitates, adminiſtrationes & officia, aliaq. beneficia Eccleſiaſtica, & ad quoſcumque ordines & honores Eccleſiaſticos vel mundanos ſit penitus recluſus aditus & aſcenſus. Et cum ſalubre exiſtat, ac publicæ vtilitati non parum expedire noſcatur, eoſdem ſic tot cenſuris & pœnis ligatos à Chriſti fidelium cœtu, tamquam membra putrida, ne eorum verſutijs alios ad eorum perniciem deducant, ſegregare, vniuerſas & ſingulas Paduan. Veronen. Vicentin. Brixien. Taruiſin. Pergamen. & aliarum Ciuitatum, Terrarum & locorum ditioni eorumdem Venetorum obtemperantes Communitates, vniuerſitates, & quas in eis tempore quo præfati Veneti priuationis iuris eorum in illis pœnam prædictam incurrent, habitare contigerit ſingulares perſonas, & generaliter quoſcumque vaſſallos eorumdem ſic monitorum dicta auctoritate de ſimili conſilio requirimus & monemus, ac eis & eorum cuilibet mandamus, vt infra ſex dies, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos pro vltimo & peremptorio termino eis & cuilibet eorum canonica monitione præmiſſa aſſignamus, ab eorumdem Venetorum & exiſtentium tunc in Ciuitatibus, Terris & locis prædictis pro eiſdem Poteſtatum, Capitaneorum, Prouiditorum & quorumlibet aliorum officialium obedientia penitus & omnino quantum in eis eſt ſe ſubtrahant, & illos in eorum ſuperiores nullatenus recognoſcant, nec illorum mandatis obtemperent quoquomodo. Et ſi qui eorumdem ſubditorum & vaſſallorum in his fuerint negligentes, vel remiſſi, ſeu alias quomodolibet culpabiles, in eos & quemlibet eorum omnes & ſingulas prolatas per præſentes in eoſdem Ducem Venetiarum & alios monitos præfatos excommunicationis, aggrauationis, interdicti, anathematis, maledictionis, priuationis, & inhabilitationis ſententias, cenſuras & pœnas pari modo ex nunc prout ex tunc proferimus & promulgamus in his ſcriptis. Monemus præterea & requirimus auctoritate prædicta omnes & ſingulos forenſes Italicæ, Gallicæ, Theutonicæ, Hiſpanicæ, Anglicæ, Scoticę, Dalmaticæ, & cuiuſlibet alterius nationis, quos tunc Venetijs aut in Ciuitatibus, Terris & locis, in quibus Veneti præfati de iure vel de facto ſuperioritatem obtinent, mercaturæ ſeu quauis alia cauſa eſſe contigerit, & mandamus eiſdem, vt poſtquam Veneti præfati interdicti ſententiam incurrerint memoratam, quamprimum poterunt de Venetiarum & alijs locis in quibus Veneti ſuperioritatem obtinent, vt præfertur, ipſiq. tunc degerent, cum eorum mercibus & rebus omnibus recedant, & ad illa redire, aut in eis conuerſari durante interdicto prædicto nullatenus præſumant. Alioquin illos ex eis qui monitioni & mandato huiuſmodi noſtris obtemperare diſtulerint, ſimiles prorſus excommunicationis, aggrauationis, reaggrauationis, interdicti, priuationis & inhabilitationis, ac bonorum confiſcationis ſententias incurrere volumus eo ipſo, à quibus pari modo ab alio quam Romano Pontifice niſi in mortis articulo nullus valeat abſolutionis beneficium promereri. Rurſus tamen

ipſos qui ſic habitant Venetijs, & in alijs ciuitatibus prædictis,euitent ac faciant quantum in eis eſt euitari, nec cum eiſdem Venetis aut ſubditis eorum, ſeu ipſorum aliquo emendo, vendendo, permutando, mercando, ſeu alias quomodolibet contrahendo, commercium habere,aut cum eiſdem per terram, vel per mare conuerſari, & in eorum nauibus, triremibus & alijs nauigijs, ſeu in quibus aliquis eorum,vel ipſorum mercantiæ, res & bona veherentur,ſe aut eorum res, merces, & bona vehi permittere,granum, vinum & alia victualia,pannos,merces, & res alias ad eos deferre, vel delata per eos receptare, ſiue ad illa vehendum nauigia & operas eorum præſtare quoquomodo præſumant ſub ſimilibus cenſuris & pœnis: Et etiam nullitatis contractuũ quos inirent, ac perditionis mercium, victualium & bonorum delatorum,quæ capientium illa fiant & applicentur eiſdem,ſimiliter eo ipſo incurrendis in pœnam. Inſuper Venetorum,aliorumq. monitorum non parentium prædictorum,Venetiarum, ac omnium & ſingularum Cathedralium etiam Patriarchalium, Metropolitanarum & aliarum inferiorum Eccleſiarum & Monaſteriorum,Prioratuum, domorum & locorum religioſorum & piorum quorumlibet Abbatibus, Prioribus, Canonicis, Monachis etiam Congregationis ſanctæ Iuſtinæ Paduan. Lateranen. & ſancti Saluatoris, necnon ſancti Georgij in Alega nuncupatarũ, ac vniuerſis & ſingulis Ordinibus Fratrũ Prædicatorum, Minorum, Eremitarum ſancti Auguſtini, Carmelitarum, & Seruorum ſanctæ Mariæ tam Conuentualium,quàm de Obſeruantia nuncupatorum, aliorumq. quorumcumque Ordinum & Religionum Prioribus, Miniſtris, Cuſtodibus, Guardianis, & alijs Clericis ſæcularibus & regularibus quibuſcumque nominibus cenſeantur in Venetiarum, Paduan. Veronen. Vicentin. Brixien. Teruiſin. Bergomen. & alijs Ciuitatibus, Terris & locis prædictis, in quibus Veneti ſuperioritatem quamlibet exercent morantibus, diſtricte præcipiendo mandamus, vt infra quinque dies poſt dictos primos quindecim dies immediate ſequentes exeant de Ciuitatibus, Terris & locis ipſis in quibus degunt, ad loca ipſa minime reuerſuri, donec ibi Veneti noſtris monitionibus & mandatis obtemperauerint, & meruerint interdicti præfati relaxationem obtinere. Et ſi quis de prædictis contrafecerit, ſi Epiſcopi & ſuperiores interdicti, ingreſſus Eccleſiæ; ſi vero alij ab eiſdem fuerint, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto, à qua non poſſint abſolui ab alio quàm à Romano Pontifice niſi in mortis articulo conſtituti. Et præter huiuſmodi interdictum,& excommunicationis ſententiam Epiſcopi & ſuperiores,ac monaſteriorum Abbates, Commendatarij & alij adminiſtratores regimine & adminiſtratione Eccleſiarum & monaſteriorum eorumdem, reliqui vero ab eis omnium & ſingulorum beneficiorum, dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, & officiorum,Canonicatuum & præbendarum, aliorumq. beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ tunc obtinebunt,& graduũ ad quos promoti forent,priuationis pœnam ſine vlla ſpe reſtitutionis ad ea,incurrant ſimiliter eo ipſo: De quibus poſſit & debeat per Sedem Apoſtolicam,& ab illa facultatem habentes

tes Apoſtolica auctoritate dumtaxat abſque alia declaratione incurſus pœnæ huiuſmodi illico libere prouideri. Concedimus tamen quod in Cathedralibus, & alijs Collegiatis & non Collegiatis Eccleſijs, ac domibus Prædicatorum & Minorum, aliorumq. religioſorum & ſæcularium duo, tres, quatuor, quinque vel ſex ſecundũ magnitudinem & paruitatem Eccleſiarum vel domorum, conuerſi & illiterati, vel Clerici in minoribus Ordinibus conſtituti, & in Eccleſijs Parochialibus pro miniſtrandis Baptiſmatis paruulorum, pœnitentia morientium & alijs Eccleſiaſticis Sacramentis quæ miniſtrantur tempore interdicti, earum Rectores ſeu aliàs curæ animarum Præpoſiti ibidem licite valeant remanere. Eccleſijs autem & monaſterijs, domibus & locis Eccleſiaſticis, in quibus interdicto huiuſmodi durante Miſſæ & diuina officia fuerint celebrata contra interdictum huiuſmodi, & quorum perſonæ contra mandatum noſtrum in illis remanere præſumpſerint, omnes gratias, omnia priuilegia & indulta adimimus; ita vt eis in poſterum nullatenus ſuffragentur. Ad reprimendum præterea eorumdem Venetorum ad bellum tam pernicioſum conatus, vniuerſis & ſingulis Ducibus, Marchionibus, Communitatibus, Baronibus, Domicellis, feudatarijs, Vicarijs & vaſſallis, ac alijs quibuſcumque in temporalibus prædictæ Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate quomodolibet ſubiectis & non ſubiectis, diſtricte præcipimus & mandamus, ne ad ſtipendia eorumdem Ducis, Conſilij & Communis Venetiarũ, aut eis fauentium in præmiſſis militare, aut eorum ſtipendia capere, ſeu ad ſtipendia huiuſmodi vel aliàs cum eis ſe vel ſuos armigeros ac ſequaces locare, eisq. aliquod auxilium, conſilium vel fauorem quomodocumque præſtare audeant. Quinimmo Robertus de ſancto Seuerino, & ſi qui alij cum eiſdem ad præſens militant, non obſtante quacumque obligationis formula, qua obligati forent eiſdem, quæ quatenus contra Romanam Eccleſiam militare promiſiſſent, non aſtringit eoſdem, & nullius eſt roboris vel momenti, infra quindecim dies à publicatione præſentium computandos, ab ipſis Duce, Conſilio & Communi Venetiarum, eorumq. obſequijs & ſtipendio omnino recedant: & in omnes & ſingulos ex eis qui contra mandata huiuſmodi facere, vel venire tentauerint quoquo modo per ſe vel alios, directe vel indirecte, ſimilis excommunicationis, anathematis, maledictionis, & priuationis ac inhabilitationis, necnon in terras, dominia, & loca eorum, ſi quæ tunc eos habere & obtinere contigerit, interdicti, & in eos eorumq. deſcendentes priuationis dignitatum, dominiorum, feudorum, & bonorum, ac priuilegiorum, gratiarum & beneficiorum Eccleſiaſticorum, ac inhabilitationis dominiorum, & bonorum confiſcationis, ſententias, cenſuras & pœnas prædictas ex nunc prout ex tunc promulgamus, eoſq. illas incurrere volumus eo ipſo: quæ ſimiliter per alium quàm Romanum Pontificem præterquam in mortis articulo, vt de alijs ſuperius eſt expreſſum, nequeant ſubmoueri. Inhibemus etiam quibuſcumque temporale dominium obtinentibus etiã Regali, Ducali, Principatus, Marchionatus, Comitatus, & Baroniæ, vel alia dignitate fulgentibus ſub ſimilibus cenſuris & pœnis per eos ſi contrafecerint eo ipſo incurren-

currendis, ne cum eiſdem Duce,Conſilio,& Communi Venetiarum directe vel indirecte ad prædicti Ferrarienſis proſecutionem,aut motionem alterius belli in præiudicium prędictæ Romanæ Eccleſiæ tendentis ligam, confederationem ſeu colligationem, vel intelligentiam ineant,aut hactenus forſan initas,factas & concluſas, quas quatenus ad præiudicium præfatæ Eccleſiæ tendunt, etiam ſi pœnarum adiectione & iuramento ſint vallatæ, illarum tenorē ac ſi inſereretur pro expreſſo habentes, non tenere, & nemini quo minus eiſdem Venetis fauendo ſub colore earum cenſuras & pœnas prædictas incurrant, excuſationem præſtare poſſe declaramus, obſeruent quoquo modo. Ceterum ſi excommunicati,interdicti, anathematizati, maledicti, priuati & inhabilitati prædicti, poſtquam priuationis & inhabilitationis pœnas prædictas incurrerint,obſtinata animi duritie noſtris monitioni & mandato prædictis vlterius diſtulerint obtemperare, ex nunc prout ex tunc omnes Reges, Duces, Principes, Marchiones,Barones,Communitates,Vniuerſitates,& quoſcumque alios Terrarum dominos, ac gentium, armorum Capitaneos ad quorumcumque fidelium ſtipendia militantes requirimus per præſentes, eisq. & cuilibet eorum in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus,quatenus contra eoſdem Venetos, ac in ſua obſtinatione perſeuerantes,pro honore præfatæ Sedis armis inſurgant, eosq. perſequi & debellare procurent, & ne noſtram ciuitatem Ferrarienſem ac loca quæcumque dominij dicti Ducis Ferrarienſis occupent ſe eis opponant, & in ipſorum Venetorum pœnam,& pro eorum plectenda rebellione huiuſmodi quoſcumque Venetos in eorum Ciuitatibus, Terris, locis & dominijs degentes,& Ciuitatum, Terrarum ac locorum, quorū Cōmmunitates,Vniuerſitates & incolæ præfatos Venetos in eorum dominos recognoſcere, & eis vt eorum dominis obtemperare præſumpſerint, poſtquam ipſi Veneti priuationis iuris eorum in illis pœnā incurriſſent,capiant, & captiuos teneant, eorumq. mercantias, pecunias, nauigia, credita, res & bona omnia in proprios vſus conuertant. Nos enim ipſis arma ſumentibus, & aliquos eorumdem Venetorum & ſubditorum ſuorum tunc eorum ditioni obtemperantium,eorumve res & bona in huiuſmodi euentum capientibus vniuerſa, pecunias, iocalia, mercantias, nauigia, animalia, res & bona mobilia & immobilia, ciuitates quoque,caſtra & loca eorumdem Venetorum quæ ſic ceperint vbique locorum etiam extra loca Territorij eorumdem Venetorum,eis in prædam concedimus, & volumus illa ad eoſdem capientes pleno iure pertinere; & perſonas ex Venetijs, aut alijs Ciuitatibus,Terris & locis quorum Communia & vniuerſitates ab eorum obedientia,prout eis mandatur per præſentes,ſe non ſubtraxerint originem trahentes, ſeu in illis domicilium habentes, quas vbique locorum capi contigerit, ſeruos fieri capientium. Concedimus quoque eiſdem qui ſic contra eoſdem Venetos pro defenſione ciuitatis prædictæ Ferrarienſis, immo Romanæ Eccleſiæ, ab ipſorum Venetorum bello & oppugnatione huiuſmodi ſe oppoſuerint, & ad defenſionem eiuſdem ciuitatis quomodolibet præſtiterint auxilium,conſilium, vel fauorem,plenariam

omnium

omnium ſuorum peccatorum indulgentiam & remiſſionem. Et ſi qui Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, Communitates, Vniuerſitates, Collegia tam in Italia, quàm extra Italiam conſtituta, & quæuis aliæ etiam particulares perſonæ per ſe vel alium ſeu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, quouis quæſito colore eiſdem Venetis excommunicatis, anathematizatis, maledictis, priuatis, & inhabilitatis, ad prædicti vel alterius belli contra Romanam Eccleſiam proſecutionem arma, pecunias, aut commeatum miniſtrare, ſeu auxilium, conſilium vel fauorem quouis modo præbere præſumpſerint, aut cum commode poſſent, à ſpolio, deprædatione, & captura eorumdem Venetorum & ſubditorum ſuorum abſtinerent, quicumque fuerint etiam quacumque excelſa præditi dignitate, maledicti & excommunicati exiſtant; & diuino percuſſi anathemate, nec de ſalute animæ ſperent, niſi ante finem vitæ pœnitentiam agentes Apoſtolica fuerint auctoritate abſoluti. Vniuerſitates vero ſciant ſibi diuinis penitus interdictum: & niſi ſe correxerint, diuinam expectent vltionem: Et nihilominus earum ſingulares perſonæ paribus excommunicationis ſententia & alijs pœnis, quibus alij excommunicati prædicti, exinde innodentur. Et vt præmiſſa omnibus innoteſcant, vniuerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum Prælatis, Capitulis, & perſonis alijs Eccleſiaſticis, & quorumuis Ordinum etiam Mendicantium religioſis, exemptis & non exemptis per vniuerſum orbem, & præſertim in Italia conſtitutis mandamus, quatenus ipſi & quilibet eorumdem ſub ſimilibus cenſuris & pœnis per eos & ſingulares perſonas eorumdē Capitulorum, ſi infra tres dies, quorum vnum pro primo, & alium pro ſecundo, & reliquum pro tertio & peremptorio termino Canonica monitione præmiſſa aſſignamus, non paruerint, eo ipſo incurrendis, eoſdem Ducem, Conſiliarios, Commune Venetorum, & ſingulares perſonas eiuſdem Communis, Prouiditores, Capitaneum, conſultores, fautores, adhærentes, complices & ſequaces eorum, ac alios monitos præfatos decurſis eis aſſignatis terminis prædictis, ſi non paruerint, in eorū Eccleſijs Dominicis & alijs feſtiuis diebus, dum maior inibi populi multitudo conuenerit ad diuina, cum Crucis vexillo pulſatis campanis, & accenſis candelis, ac demum extinctis, & in terram proiectis & conculcatis, & cum trina lapidum proiectione, alijsq. in talibus ſeruari ſolitis cæremonijs excommunicatos publice denuntient, ac faciant & mandent ab alijs nuntiari, & ab omnibus arctius euitari, necnon omnibus alijs Chriſti fidelibus vt eos euitent, & cuncta eis neceſſaria denegent miniſtrare, donec compuncti corde, ſpiritum aſſumentes conſilij ſanioris, noſtris monitionibus & mandatis prædictis obtemperauerint, & meruerint à cenſuris & pœnis prædictis abſolutionis & interdicti ac reſtitutionis beneficium, & alias integram reconciliationis eorum gratiam à nobis & Sede præfata obtinere. Excommunicamus quoque & anathematizamus omnes cuiuſcumque ſtatus, conditionisve fuerint, qui quominus præſentes litteræ noſtræ, vel earum tranſumpta, copiæ, ſeu

exem-

exemplaria in ſuis, aut alienis Dominijs legi, affigi, aut publicari, ac ad omnium notitiam deduci poſſint, fecerint vel procurauerint quoquo modo. Eccleſijs quoque, Monaſterijs, Conuentibus, & alijs quibuſuis ſacris locis in quibus denegatum fuerit per illarum Prælatos & perſonas litteras ipſas publicari, omnia priuilegia, omnia indulta, omnes gratias quibus ab Apoſtolica Sede decorantur, adimimus, volentes illa pro non conceſſis haberi. Poſtremo quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula loca deferri in quibus neceſſarium foret, volumus & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod earum tranſumpto manu Notarij publici confecto, & ſigillo alicuius Prælati Eccleſiaſtici munito vbique ſtetur, prout originalibus litteris ſtaretur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Et quia dolus & fraus nemini debent patrocinari, nullus vano decipiatur errore, vt intra tempus ſui regiminis prædictas cenſuras & pœnas vel aliquas earum ſuſtineant, quaſi poſt illud non ſit ad ſatisfactionis debitum compellendus: nam & ipſum qui ſatisfacere, & in aliquo præmiſſorum mandatis noſtris obtemperare noluerit, & ſucceſſorem eius, niſi paruerit, decernimus eiſdem pœnis incluſum, ac in omnibus & per omnia obligatum. Et cum ipſæ præſentes litteræ Venetijs propter eorumdem Venetorum potentiā nequeant tuto publicari, ne Veneti & alij quos litteræ ipſæ contingunt, quibusve aliquid mandatur vel prohibetur per eaſdem, valeant de præmiſſis ignorantiam allegare, & prætextu ignorantiæ huiuſmodi ſi non paruerint, velamen excuſationis aſſumant: volumus litteras ipſas in valuis baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe affigi, & per huiuſmodi affixionem publicari: decernentes quod earumdem litterarum publicatio ſic facta perinde eoſdem monitos, & omnes quos litteræ ipſæ contingunt, arctet, ac ſi litteræ ipſæ die affixionis & publicationis huiuſmodi eis perſonaliter lectæ & inſinuatæ forent: cum non ſit veriſimilis coniectura, quod ea quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. & contrarijs quibuſcumque, ſeu ſi monitis præfatis vel quibuſuis alijs communiter vel diuiſim à Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ hortationis, requiſitionis, monitionis, præcepti, mandati, aſſignationis, promulgationis, aggrauationis, ſubiectionis, ligationis, conſtitutionis, priuationis, inhabilitationis, abſolutionis, liberationis, prolationis, conceſſionis, ademptionis, inhibitionis, expreſſe habitionis, declarationis, maledictionis, excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innodationis, voluntatis & decreti infringere &c. Si quis autem &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ M. C C C C. L XXXIII. decimo Kalendas Iunij, Pontificatus noſtri anno duodecimo.

D. Galletus.

Collat. B. de Spello.

SIXTI PAPAE IIII.

Declaratio contra Venetos, qui ab eiuſdem monitorio appellauerant ad futurum Concilium.

SIXTVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI Ad futuram rei memoriam.

QVi monitis acquieſcere nolunt, & mandatis Apoſtolicis obedire, nec ad obediendum minis etiam inducuntur, Canonum ſeueritatis in ſe debent experiri rigorem, ne ſi vniuerſis vniuerſa licerent, paruipenderetur in ſingulis iuriſdictio ſingulorum: & qui nos ſupra Principes ſedere voluit, & de Principibus iudicare, ſpe ſua fruſtretur in nobis, videaturq. Petri nauicula ſine remige nauigare. Sane cùm ſuperiori anno Veneti noſtrum Ferrarienſe Territorium hoſtiliter inuaſiſſent, & à nobis vt deſiſterent moniti, & inſtantiſſime ſæpius requiſiti, ſe id non belli gerendi, ſed pacis habendæ cauſa, & pro iurium ſuorum conſeruatione agere affirmarent; ac bellum continue acrius proſequerentur, & adeo vltra proceſſiſſent, vt de Ferrarienſis ciuitatis occupatione in breui dubitaretur: ne tam longa mora noſtra, qui in illorum verbis confidebamus, Romanæ Eccleſiæ damnoſa foret, ipſiq. eorum voti compotes fierent, Ferrarienſi ciuitati prædictæ, ne occuparetur ab eis, occurrere etiam cum gentibus noſtris armigeris, & aliàs prout fas & poſſibile fuit ac tenebamur curauimus: & vniuerſali in Italia pace inter aliquos illius Potentatus per nos compoſita, eiſdem Venetis vt à bello prædicto Ferrarienſi deſiſterent, & pacem ipſam, quam nos vt inæſtimabile bonum Fidei catholicæ ardenti deſiderio ad effectum deducere curaueramus, amplecterentur conditionibus eorum & ſtatui & potentatui conuenientibus, reperitis Nuntijs & litteris perſuadere, & eos ſaluberrimis paternis monitis ab eorum belli propoſito ad tramitem rectitudinis reuocare ardentius non ceſſauimus. Cumq. expectatis pluribus menſibus, noſtris perſuaſionibus obtemperare nullatenus velle, & bellum ipſum Ferrarienſe contra nos & Romanam Eccleſiã omnino proſequi decreuiſſe reſponderent; ne quid omitteremus de ijs quæ noſtro incumbunt officio, eoſdem Venetos quos ob inuaſum Ferrarienſe Territoriũ, prolatas in id facientes nominatim in Cœna Domini per nos & prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices Eccleſiaſticas cenſuras & pœnas incurriſſe notorie conſtabat, vt iure optimo facere potuiſſemus, cenſuras ipſas incurriſſe minime declarauimus, ſed vt mitius ageremus cum eiſdem, noſtris patentibus litteris eos vt à bello prædicto tam iniuſto deſiſterent, & occupata reſtituerent, denuo monuimus & requiſiuimus, Eccleſiaſticas quas facti qualitas exigebat ſentẽtias, cenſuras & pœnas proferentes in eos, ſi noſtris, vt debebant, tam ſanctis tamq. iuſtis non obtemperarent mandatis. Ipſi vero quanto mitius proceſſimus contra eos,

c tanto

tanto magis excedere non formidarunt. Nam non ſolum monitionibus & mandatis prædictis obtemperare, aut præfixi eis ad id termini prorogationem petere, & de parendo ſpem dare non curarunt, immo ſpiritu rebellionis aſſumpto, accerſitis in eorum Ducali palatio nonnullis Prælatis Eccleſiaſticis tunc Venetijs commorantibus, coram eis vt honeſtis perſonis, à monitionibus & mandatis huiuſmodi noſtris ad tribunal omnipotentis Dei, & ad id quod de proximo celebrari debere temere affirmare non erubuerunt futurum generale Concilium appellare, & vt appellatio ipſa per eoſdem Prælatos reciperetur, laudaretur & admitteretur, ac tandem ad noſtram deduceretur notitiam procurare, & Chriſtifidelibus Clero & populo cuiuſlibet Ciuitatum, Terrarum & locorum eorum ditioni obtemperantium, quòd prætextu appellationis huiuſmodi monitionibus & mandatis noſtris obtemperare non tenerentur, nihilq. cõtra eos huiuſmodi prætenſa eorum appellatione pendente poſſe aut debere innouari perſuadere, & eorum animas huiuſmodi falſis perſuaſionibus illaqueare non formidarunt in huius ſanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritatis contemptum, pernicioſum exemplum, & ſcandalum plurimorum. A quibus omnibus Veneti prædicti profecto vt credimus abſtinuiſſent, ſi conſideraſſent attente ea quæ apud nos in beato Petro à Domino nobis conceſſa ligandi atque ſoluendi iuxta meritorum exigentiam plenitudo reſidet poteſtatis, qua non extollimur ad ſuperbiam, ſed ad prouidentiam excitamur: & illius exemplo qui omnes ſaluat, & neminem vult perire, libentius vtimur ad ſoluendum, quàm ligandum: & voluiſſent diligentius intueri qua facta noſtra proſequi perfectione velimus, quòdq. eos vt peculiares Romanæ Eccleſiæ filios ſemper geſſimus in viſceribus charitatis, & gratijs ac fauoribus proſequi non ceſſauimus. Nos igitur, qui diſponente Domino qui nos vnxit oleo lætitiæ præ conſortibus noſtris, in eo ſumus officio conſtituti, vt ſingularum animarum ſaluti conſulere, iuſtitiam colere, & iniquitatem odire debeamus; attendentes quòd de minoribus ad maiores iudices dumtaxat appellare legalis permittit auctoritas, & propterea inhibet ab Imperiali & Præfecto prætorio iudicio appellari, & quòd non homo, ſed is dumtaxat qui ſolo verbo fecit cælum & terram, Apoſtolicam Sedem & in ea ſedentem prætulit vniuerſis etiam Concilijs, quæ ab ea robur accepiſſe, ſanctorum Patrum decreta teſtantur, & etiam Gelaſius Papa contra Acacium Fauſto Legato ſcribens, dum ait: Ipſi ſunt Canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad huius Sedis examen voluere deferri, ab ipſa autem numquam appellari debere, & ipſam de tota Eccleſia iudicare, de ipſius autem iudicio numquam iudicari ſenſerunt. Et dum ſcribit ad Orientales Epiſcopos dicens: Sedem prædictam nulla Synodo præcedente ſoluendi quos Synodus inique damnauerat, & damnandi quos oportuit nulla exiſtente Synodo habuiſſe facultatem. Teſtantur etiam quamplurimorum antiquorum Conciliorum epiſtolæ, in quibus verba illa apponuntur, Salua in omnibus Apoſtolicæ Sedis auctoritate: & quòd de ijs, & alijs quàmpluribus iuribus, & canonibus, ac auctoritatibus piæ me. Pius Papa Secundus prædeceſſor noſter dudum de fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium, & Prælatorum, ac Iuriſperitorum tunc Romanam Curiam

ſequen-

ſequentium conſilio in Conuentu Mantuano,auctoritate Apoſtolica in perpetuum valitura conſtitutione omnes qualitercumque appellantes à Romano Pontifice, Canonum tranſgreſſores, & illos ex eis qui ad non indictum nec congregatum Concilium appellare præſumerent, aliud caput in Eccleſia Dei ac imaginarium, maius & ſublimius tribunal confingentes contra Apoſtolum dicentem: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod Chriſtus inſtituit; huius ſanctæ Sedis primatum negare, Eccleſiæ vnitatem diuidere,non vnum ſolum priuilegium eidem Eccleſiæ adimere, ſed præcipuam & principalem dictæ Sedis auctoritatem, quam & vox Chriſti, & maiorum traditio, & Canonum fulſit auctoritas, penitus ſubuertere non verentur, præ ceteris deteſtabiliores eſſe: & eorũ appellationes huiuſmodi quacumque occaſione interponerentur, non ſolum irritas & inanes, ſed fraudoloſas, & ſacrilegas, & hæreticas eſſe declarauit, ac ſtatuit nulli cuiuſcumque ſtatus,ordinis, vel conditionis exiſteret, licere deinceps pro quacumque cauſa à Sede Apoſtolica præſertim ſub hoc prætextu nominis futuri Concilij appellare, aut huius appellatione vti & inniti, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, à qua à nemine abſolui poſſit, præter quàm à Romano Pontifice, niſi in mortis articulo conſtitutus: & voluit omnes adhærentes appellationibus eiſdẽ, procuratores quoque, ſindicos, & alios quoſlibet alieno nomine appellantes, ſimili ſententiæ ſubiacere: Notarios vero & ſcribentes, dictantes, & teſtificantes in eis, aut conſilium præſtantes vel fauorem, vltra anathematis pœnam, perpetua notari infamia, & aduocationis, procurationis, & notariatus officijs fore priuatos; & ſi in huiuſmodi excommunicationis ſententia per annum perſiſterent, tamquam de hæreſi & ſchiſmate ſuſpectos ab omnibus haberi & reputari,& contra eos vt tales iuxta Canonum præcepta procedi, prout in eadem conſtitutione latius continetur. Ex quibus manifeſte infertur quòd huiuſmodi eorumdẽ Venetorũ appellatio ex eo quia à Romano Pontifice non appellatur, ipſo facto nulla; & quia ad fictum & imaginarium Concilium interpoſita fuit, ſacrilega & abhorrenda extitit: & vt ad tribunal omnipotentis Dei interpoſita per eos ſuſtineri non poteſt, niſi alterum de duobus affirment,videlicet, vel Omnipotentem ipſum Petro Apoſtolorum Principi, & per eum eius ſucceſſoribus omnimodam poteſtatem in terris non tradidiſſe, & aliquid de ea retinuiſſe, vel quòd à Vicario ad eum cuius vices gerit, cuiuſque vnum & idem eſt tribunal, valeat appellari: quorum primum hæreticum, aliud vero à ſacris Canonibus alienum eſſe nemo ambigit. Et non minus conſiderantes quòd ſi Veneti præfati non appellaſſent, ſed conceſſa grauatis à Romano Pontifice via nobis ſupplicandi, aut in integrum reſtitutionem à nobis petendi vſi fuiſſent; nihilominus ex ſex cauſis in eorum prætenſa appellatione prædicta deductis, quæ ſi recte procederetur, ad vnam reducuntur, videlicet quòd ob pacta eis non ſeruata à Duce Ferrarienſi nobis conſentientibus bellum ei indixerunt, & quæſita in eo bello vtpote licite ad eos pertinent, exaudiri nullatenus deberent, cum cauſæ ipſæ à facti veritate & iuris diſpoſitione ſint penitus alienæ. Nam vt ex noſtrarum litterarum, per quas moniti fuere, lectura euidenter apparet, Dux ipſe Ferrarien-

rarienſis pacta ſeruare, & noſtræ ordinationi deſuper parere ſæpius obtulit, & ad bellum ipſum penitus nobis inſcijs deuentum extitit. Ac volentes eorumdem Venetorum, ne eorum aſſertione, & inualidæ appellationis prædictæ vana ſpe decipiantur, ſubditorum, fautorum ac adhærentium eorumdem animarum ſaluti, quæ omnibus rebus eſt præferenda, quantum nobis poſſibile eſt paterna charitate conſulere, ne aliàs vel eos filios odiſſe ſi virgæ parcamus, vel ipſis ægris ſi mederi deſeramus, cauſam interitus præſtitiſſe videamur, firmiter credentes quòd Veneti præfati quantumcumque ex his forſitan, iniuſte tamen, mouebuntur, ad mentem tamen reuerſi cum remedium ſenſerint medicinæ, nobis & Apoſtolicæ Sedi tanto deuotiores erunt, quanto maiorem in nobis fuerint ex paterna charitate ſeueritatem experti: habita ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de illorum conſilio eorumdem Venetorum appellationes prætenſas, & quaſcumque alias, quas quomodolibet forſan interpoſuerunt à nobis occaſione contentorũ in noſtris litteris prædictis tam poſtquam litteræ ipſæ publicatæ fuerint, quàm anteaquam publicarentur, irritas & inanes ac ſacrilegas eſſe, & eoſdem Ioannem Mocenigum, eiuſq. Conſiliarios quoſcumque qui huiuſmodi prætenſas appellationes interpoſuerunt, aut illis adhæſerunt, ſeu eas ratas & gratas habuerunt, ac Ludouicum de Zambertis, Philippum & Franciſcum de Morandis, necnon Andream Pacis laicos Venetiarum, qui vt publici Notarij de huiuſmodi appellationibus publicum confecerunt inſtrumentum, ac Iacobum de Pierleonibus, & Danielem Zutho iuris Doctores Venetos, qui vt teſtes dictæ appellationi interfuerunt, excommunicationis ſententiam, & præter illam Notarios & teſtes prædictos, & qui appellationes ipſas dictarunt & ſcripſerunt, aut ad illas interponendũ præſtiterunt auxilium, conſilium, vel fauorem, aduocationis, procurationis, & Tabellionatus officiorum, priuationis pœnam, iuxta eiuſdem Pij prædeceſſoris conſtitutionem prædictam, incurriſſe, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus: ac vniuerſis & ſingulis Prælatis & perſonis Eccleſiaſticis eadem auctoritate mandamus, vt cum deſuper fuerint requiſiti, faciant eoſdem Ducem, Conſiliarios, Notarios, & teſtes excommunicatos & alijs pœnis prædictis irretitos publice nuntiari, & ab omnibus arctius euitari, donec compuncti corde ſpiritum aſſumentes conſilij ſanioris meruerint ab exceſſu, excommunicationis ſententia, alijsq. pœnis prædictis abſolutionis beneficium obtinere. Contradictores per cenſuras &c. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrarijs quibuſcumque, ſeu ſi excommunicatis prædictis, vel quibuſuis alijs communiter vel diuiſim à prædicta ſit Sede indultum quòd interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Nulli ergo &c. noſtræ declarationis, mandati & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ M. C C C C. L X X X I I I. Idibus Iulij, Pontificatus noſtri anno duodecimo.

Ioannes Poggius.

IVLII
PAPAE II.

Monitorium, & declaratio Excommunicationis, Interdicti, & aliarum cenſurarum Eccleſiaſticarum contra Venetos detinentes aliquas ciuitates & loca S.R.E. ab eis per fraudem occupata.

ROMAE
Ex Typographia Vaticana.
Anno MDCVI.

IVLIVS EPISCOPVS
SERVVS SERVORVM DEI
Ad futuram rei memoriam.

PASTORALIS officij diuina gratia nobis licet immeritis iniuncti conſideratione, monente nos beato Iulio primo prædeceſſore noſtro, cuius nomen electi ad apicem Apoſtolatus aſſumpſimus, non eſt nobis diſſimulandum, non tacendi libertas quibus maior cunctis Chriſtianæ religionis zelus incumbit. Debemus enim ſummam curam habere de his qui pereunt; quatenus noſtra redargutione aut corrigantur à peccatis, aut ſi incorrigibiles apparuerint, ab Eccleſia ſeparentur. Pius eſt Deus & miſericors, qui vindictam temperat ab eo qui illam præuenit; & ſicut in Geneſi legitur, quos videt prorſus impœnitentes, ante ſeuera vltione caſtigat quàm prius fuerit comminatus: aſſidueq. peccanti, & in peccatis perſeueranti non miſeretur. Cum itaque retroactis temporibus dominij Venetorum potentia priuilegijs, indultis atque fauoribus, pecunijs etiam Romanæ Sedis ſæpenumero adiuta, adeo in immenſum excreuerit, vt quibuſcumque Regibus, Principibus, Ducibus, Potentatibus & dominijs totius Europæ, & præcipue matri ſuæ Eccleſiæ Romanæ, à qua beneficia multa ſuſcepit, formidoloſa & pernicioſa fuerit & ſit in præſens; quandoquidem leonina pelle aſſumpta, non ſolum leonis more, ſed & luporum omnium, quibus proxime accedit, coria expilat, nec vmquam retro aſpicit, ſed eiuſdem leonis feritate vicinos & obuios quoſque peſſundat & diſcerpit: fuerintq. ſæpe à prædeceſſoribus noſtris & nobis Duces eiuſdem ciuitatis Venetiarum, Rogati, Conſiliarij, & alij eiuſdem Reipub. Venetæ Præſidentes moniti vt à violentia alijs inferenda ſe abſtinerẽt, & à rebus alienis occupandis, & pręcipue ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ceſſarent: illi nihilominus duritiam Pharaonis imitati, huiuſmodi paterna ac ſalubria monita ſurda aure & excæcata mente numquam admittere voluerunt, niſi quantum eorum cupiditas & dominandi libido effręnata, aut nonnumquam neceſſitas eis ſuadebat. Sic factum ab eis nouimus (vt de aliorum Regum & Principum iniurijs, oppreſſionibus ac damnis taceamus) cum Ferrariam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ciuitatem temporibus fel. record. Clementis Quinti prædeceſſoris noſtri occuparunt, donec per omnes cenſuras, interdicta & diffidationes illam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ dimittere coacti fuerunt. Et quoniam eorum cor non plene pœnitens fuerat, eamdem ciuitatem Ferrarienſem ſedente in hac ſancta Sede fel. record. Sixto Papa Quarto etiam prædeceſſore & patruo noſtro maximis conatibus occupare contenderunt, & pro-

culdubio occupaſſent, niſi præfati Pontificis & aliorum Italiæ Regum & Dominiorum auctoritas ac potentia illis obſtitiſſet. Sic factum ab eis cum iam multis annis Rauennam inclytam ciuitatem Romanæ Sedis per dolum & fraudem, necnon Ceruiam ciuitatem prohibito modo, & illicito colore, illarumq. oppida & pertinentias vſurparunt: & nequid deeſſet ad cumulum male meritorum ſuorum, mortuo Alexandro Sexto etiam prædeceſſore noſtro, Ariminum, Fauentiam, & Sarſinã vrbes S. R. E. illarumq. arces, oppida, & omnem diſtrictum, multaq. Cæſenaten. Forliuien. & Imolen. diſtrictuum oppida temeritate propria inuaſerunt atque occuparunt. Et quamuis nobis huiuſmodi occupationem ægre ferentibus, & grauiter conquerentibus noſtri Pontificatus initio aliqua ex dictis oppidis poſtmodum reſtituerint, hoc ipſo euidenter ſatis confeſſi iniuſte ſe omnia detinere, cum maxime nulla retinendi vrbes aliaq. loca ratio ſubeſſet aut excogitari poſſet: ipſi tamen duro corde prædictas ciuitates & reliqua perperam & impudenter retinere, minimeq. relaxare voluerunt, immo à tempore occupationis & citra detinuerunt & detinent de præſenti. Quos licet per proceſſum qui ſingulis annis in die Cœnæ Domini ex more Romanorum Pontificum legi conſueuit, tamquam occupatores & detentores prædictarum Ciuitatum & locorum Romanæ Eccleſiæ excommunicatos & anathematizatos declarare, & ab omnibus euitandos decernere hactenus potuiſſemus: tamen cùm paterna pietate Ducem & reliquos prædictos, cum in minoribus ageremus, & nunc ad apicem Apoſtolatus euecti, in viſceribus charitatis ſemper complexi fuerimus, curauimus omni ſtudio & diligentia vt ad cor redeuntes, nobis & matri ſuæ S. R. E. obedientes ſe præſtarent, animarum ſuarum ſaluti occupata reſtituendo conſulerent, & huius ſanctæ Sedis quæ illis ſemper vſui fuit & honori, auctoritatem cum debita reuerentia agnoſcerent. Proinde per venerabilem fratrem Angelum Epiſcopum Tiburtinum, noſtrum & Apoſtolicæ Sedis Nuntium apud eos agentem, in zelo charitatis prædictos Ducem & Conſiliarios moneri & requiri fecimus, vt occupata per illos quæ ad Romanam Eccleſiam ſpectabant, videlicet Ariminum, Fauentiam & Sarſinam cum diſtrictibus ſuis, Caſtellis & oppidis illis adiacentibus, ac alia oppida, arces & terras Forliuien. Cæſenaten. & Imolen. territorij nobis & Romanæ Eccleſiæ reſtituerent, nihilq. noui operis aut muniendi aut reparandi prætextu, aut alio quouis colore in eis fabricarent, proteſtati fuimus: pro qua etiam reſtitutione facienda chariſſimus in Chriſto filius noſter Maximilianus tunc Romanorum Rex tamquam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ aduocatus per proprios & ſpeciales Oratores ſuos eoſdem Venetos magna cum inſtantia tunc requiſiuit, & interpellauit. Qui cum ad occupandum faciles, ad relaxandum vero admodum difficiles exiſtant, monitionibus noſtris, & Regis prædicti requiſitionibus ſatisfacere neglexerunt, dictas Ciuitates & loca nouis propugnaculis & armorum apparatibus muniendo. Et inſuper cùm biennio iam elapſo, Deo fauente, cum maximis laboribus & expenſis ciuitatem noſtrã Bononienſem à tyrannide Bentiuolorum liberauiſſemus, & contra eoſdem Bentiuolos eorumq. com

plices & rebelles noſtros, quoniam mala malis accumulando apertius in rebellionem aduerſus nos & Romanam Eccleſiam in dies varijs machinationibus ſe armabant, Excommunicationis ſententiam contra ſingulos ex eis, receptatoresq. corũ, & interdicti contra Vniuerſitates & loca ad quæ eos declinare contingeret, per litteras noſtras protuliſſemus: nihilominus Antonius Galeatius, Annibal & Hermes Bentiuoli, eorumq. ſeruitores & complices in Terris ab ipſis Venetis detentis, videlicet Paduan. Cremonen. & ad excitandam magis populi Bononienſis rebellionem in Fauentia ciuitate Bononiæ propinqua, & Venetijs etiam recepti fuerunt, & pro libito eorum ad dicta loca admittuntur in maximum noſtrum & Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicarum cenſurarum contemptum, ex quo dictorum rebellium noſtrorũ receptatores, & loca omnia prædicta Excommunicationis in ſingulos, & Interdicti in Vniuerſitates & loca cenſuras iuxta formam litterarum noſtrarum prædictarum inciderunt, & pro talibus haberi & publicari debuiſſent, nobis patienter hoc ferentibus, ipſorum Venetorum inobedientia in nullo remittitur, ſed in dies magis augetur, ita vt Eccleſiaſticæ vltionis ſeueritatem expoſcere manifeſte videantur. Magna ſunt hæc, & in oculis omniũ notoria, & mucrone ſeueritatis Apoſtolicæ reſecanda. Verum longe maius eſt, quòd Dux, Rogati, Conſiliarij, Senatus, populusq. Venetus omni ex parte religionem Chriſtianam factis ita abnegare audent, vt Sedis Apoſtolicæ obedientia in illis nulla penitus vigeat: Eccleſiarum Cathedralium, Monaſteriorum, Dignitatum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum prouiſiones à Sede prædicta factas impudenter impediant, nec poſſeſſionem illorum niſi ex arbitrio ſuo cuiquam dari permittãt: Confugientes pro iuſtitia conſequenda ad hanc Sedem Apoſtolicam, quæ refugium eſt oppreſſorum, quaſi reos maximi criminis puniant: neque in dicta Ciuitate aut Terris illis ſubiectis, Clericis præcipue & perſonis Eccleſiaſticis iuſtitiam niſi pro libito voluntatis eorum miniſtrari patiantur: nulla reſcripta aut litteras Apoſtolicas niſi ipſis annuentibus executioni mandari permittant: Clerum & Eccleſiaſticas perſonas, & pia loca grauiſſimis impoſitionibus, decimis atque oneribus vſque ad ſanguinem excorient: Prælatos, Clericos, & Religioſos nulla ordinis, dignitatis aut religionis habita ratione in exilium, & nonnumquam in carcerem mittant: & ita abrupto cuiuſque ſacræ legis vel Canonis vinculo præcipites feruntur, quòd nullam legem impoſitam ſibi fuiſſe, aut imponi poſſe, elata ceruice præſumere videantur. Hæc autem omnia ita in oculis omnium patent, vt aſſiduis querelis Regum, Principum, Cleri & populi, & præſertim ſubditorum ſuorum, plurimum quotidie excitemur vt ipſorum Venetorum ambitum, Apoſtolicæ maieſtatis & noſtrum contemptum, quibus ſe extollunt, effrenatam peccandi, & quod libitum fuerit licitum faciendi licentiam Canonica vltione comprimere vlterius non tardaremus, ne quod ex ſolita benignitate noſtra & huius ſanctæ Sedis, cenſura Eccleſiaſtica illos perſequi omiſimus, expectantes vt reſipiſcerent, & ad cor redirent, negligentiæ noſtræ aut puſillanimitati adſcriberetur: Non enim Deum agnoſcit vt ſubditus, ſed ſubſannat vt ſuperbus,

qui

qui in peccatis in dies magis inſordeſcit: iterataq. vulnera, & ad ima vſque penetrantia tardius & difficilius ſanantur: Dedimus omnem operam & per bo. mem. Antoniottũ Epiſcopũ Præneſtinum,& venerabilẽ fratrem noſtrum Bernardinũ Epiſcopum Sabinen. & dilectum filiũ Georgium tt. S. Sixti Presbyterum Rothomagen. ipſius S.R.E.Cardinales,noſtros & Apoſtolicæ Sedis Legatos, & per interceſſionem aliorum Regum Chriſtianæ Religionis exaltationem deſiderantium, & quibus potuimus medijs, vt chariſſimi in Chriſto filij noſtri & Reges ſereniſſimi, Maximilianus Rex Romanorum Imperator electus, & Ludouicus Rex Franciæ Chriſtianiſſimus inuicem concordarent, & pacem inirent; Deiq. gratia voti noſtri compotes fuimus: concordarunt; & nonnullos alios etiam Principes ad pacem reduxerunt: gratumq. nobis fuiſſet quòd cum ſatisfactione prædictorum Regum & Principum Veneti ipſi vt participes pacis recepti fuiſſent. Sic enim iam omnes Principes Chriſtianos, quod tota mente concupiſcimus, ad ſumenda arma contra perfidos hoſtes Fidei Catholicæ, & occurrendis periculis Chriſtianę religionis inducere poſſe confidebamus, ſicut nonnulli ex eis nobis perſuaſerunt, & ſe obtulerunt. Verum Reges præfati, ac chariſſimus in Chriſto filius noſter Aragoniæ Rex Catholicus nobis ſignificarunt ſecurius ſibi videri, immo neceſſarium,quòd ante omnia à Venetis ſibi reſtituantur ea quæ de dominijs ad eos ſpectantibus per illos occupantur: tum vt debito iuſtitiæ in reſtitutione rerum ſuarum per dictos Venetos eis ſatis fiat: tum ne ipſis Regibus ad debellandum infideles intentis,ab ipſis Venetis dominia eorum vexentur,& cogantur pedem retrahere: nec vlla ratione aliter ad hanc ſanctam expeditionem adduci poſſunt,quinimmo nos quoque hortati ſunt,vt ad recuperationẽ Terrarũ noſtrarum prædictarum intenderemus, ſeq. in ea re totis viribus coadiutores nobis affuturos obtulerunt. Nos videntes hoc pacto, & reintegratione ablatorum,& iuſtitiæ ſingulorum, & auctoritati noſtræ ac huius ſanctæ Sedis facilius proſpici,& citius hanc ſanctam expeditionem poſſe confici, etiam adducti fuimus vt inſurgere contra prædictos Venetos vlterius non differamus. His igitur Romanæ Eccleſiæ tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus oppreſſionibus,libertatis Eccleſiaſticæ, & Cleri ac gregis nobis commiſſi dilacerationibus, & lupina quadam rabie deuorationibus perſpectis,& per prædeceſſores noſtros ac nos ipſos nimiũ toleratis, præmiſſisq. rationibus compulſi agnoſcentes nos diuino munere, licet immeritos, Dei omnipotentis vicem in terris gerere, de cuius ore, vt in Apocalypſi ſcribitur,gladius ex vtraque parte acutus egreditur, ſententia ſcilicet quæ punit bonos vt timore pœnæ emendentur, & ab illicitis abſtineant, ex altera vero parte malos perſcindit, vt cum bonos ad cor reduxerit,relinquãtur mali in conculcatione,& à bonis penitus tollantur,neve exemplo Venetorum, ſi diutius illos ita dimiſerimus, & contumaciã proteruiamq. ipſorum diſſimulauerimus, ceteri etiam contemnendi & peccandi occaſionem & licentiam capiant: de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio & aſſenſu contra præfatos Venetos ad ſeueritatem vltionis Eccleſiaſticæ, necnon ad arma tam ſpiritualia quàm

tem-

temporalia deueniendum duximus,vt vel per pœnitentiam,matrem ſuam hanc ſanctam Sedem Apoſtolicam,occupata eidem reſtituendo,& in præmiſſis exceſſibus ſe corrigendo agnoſcant: vel Apoſtolicæ auctoritatis exemplo & ſeueritate exortes ſe intelligant diuini myſterij,& ſatanæ tradendos eſſe, ac forte cum Dathan & Abiron ſortiantur, quorum conſortes multipliciter peccando ſe fecerunt. Nemo eſt qui ignoret ex prædictis criminibus & exceſſibus per præfatos Venetos perpetratis conſtare notorie, prout & nos notorium eſſe decernimus & declaramus, Ducem, Rogatos, generale Conſilium, Senatumq. Venetum, eorumq. Officiales & ciues, ac alios quoſcumque, quorum auctoritate, opera, iuſſu, conſilio vel fauore prædictæ Ciuitates noſtræ hactenus occupatæ fuerunt, & occupantur, præmiſſaq. facinora contra hanc ſanctam Sedem, Clerum & Eccleſiaſticam libertatem commiſſa fuerunt, excommunicatos & anathematizatos fuiſſe & eſſe, prout ex prædictis proceſſibus qui per ſingulos annos publice promulgantur in die Cœnæ Domini ex more prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum omnibus innoteſcit; & propterea aliud nobis nihil agendum reſtaret, niſi vt eoſdem tamquam ethnicos & publicanos à grege fidelium eijceremus, & tamquam ſcabioſas oues à caulis noſtris repelleremus, ne totam domum, maſſam & corpus ardere, putreſcere, & interire eorum contagione contingat: tamen cum illius licet non noſtris meritis vices geramus, cuius miſericordiæ menſuram erga pœnitentes & ad cor redeuntes, metiri non poſſumus, gaudetq. ſuper vno peccatore pœnitentiam agente: non duximus omittendum, quin denuo paterna charitate cum cenſurarum, vt res ipſa poſtulat, appoſitione illos per præſentes Apoſtolica auctoritate hortemur, requiramus, & moneamus ad auctoritatis huius ſanctæ Sedis, & libertatis Eccleſiaſticæ recognitionem, necnon ad rerum & dominiorum ad nos & Romanam Eccleſiam ſpectantium per eos occupatorum integram reſtitutionem. Præfatos itaque Leonardum Lauredanum Ducē, & Rogatorum ac generalis Conſilij nuncupatorū Conſiliarios, ac Commune Venetiarum, omneſq. & ſingulos patritios & ciues dicti Communis Venetiarum, Prouiſores, Poteſtates, Commiſſarios, & Officiales eorumdem tam in dicta ciuitate Venetiarum, quàm in præfatis noſtris Ciuitatibus ab illis occupatis, quorum nomina, cognomina, qualitates & dignitates hic pro expreſſis habemus, eorumq. complices, adhærentes, & fautores cuiuſcumque ſtatus, gradus, & præeminentiæ exiſtant, & quacumque dignitate etiam Regali, Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, vel aliàs quauis Eccleſiaſtica vel mundana dignitate præfulgeant, auctoritate nobis à Deo omnipotente conceſſa, & de noſtræ plenitudine poteſtatis per præſentes in Domino requirimus & monemus, & cuilibet eorum tenore præſentium per hæc ſcripta mandamus, quatenus infra vigintiquatuor dies poſt affixionem præſentium in valuis baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe immediate ſequentes, quorum octo pro primo, octo pro ſecundo, octo pro vltimo & peremptorio termino Canonica monitione præmiſſa, eis & cuilibet eorum aſſignamus, Dux, Rogati, Conſiliarij, Prouiſores, & Com-

mune

mune præfatum Venetiarum, ſingulareſq. dicti Communis perſonæ à præmiſſis exceſſibus publice damnatis, vt præfertur, in dicto proceſſu qui legitur in Cœna Domini, omnino abſtineant, & nos ſanctamq. hanc Sedem Apoſtolicam plene & omni ex parte in conceſſa ſibi auctoritate & libertate cum debita obedientia recognoſcant & reintegrent: necnon etiam infra dictos vigintiquatuor dies aſſignatos eiſdem pro peremptorijs terminis vt ſupra, præfati Dux, Rogati, Conſiliarij, Prouiſores, Commune Venetiarum, & dictorum Conſiliariorum, Rogatorum, atque Communis ſingulares perſonæ, Rauennaten. Ceruien. Ariminen. Fauentin. & Sarſinaten. Ciuitates cum Oppidis, Caſtris, Terris & diſtrictu earum, ac Cæſenaten. Forliuien. & Imolen. Territorij Caſtra, Oppida, Terras & loca, quæ occupant, integre & libere nobis & Romanæ Eccleſiæ, cuius iuris eſſe noſcuntur, relaxent, & cum fructibus etiam quos percipere potuerunt, plene reſtituant: Prouiſores, Poteſtates, Caſtellani, & alij quicumque officiales ac ſtipendiarij nomine præfati Veneti Dominij, eorumq. adhærentes, fautores & complices, exinde recedant, nec aliquod impedimentum quouis modo prædictis Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, & locis eorum, ciuibus & habitatoribus præſtent, quo minus libere ad obedientiam matris ſuæ Romanæ Eccleſiæ reuertantur. Conſultores quoque eorumdem, auxiliatores, adhærentes, complices & ſequaces à præſtatione conſilij, auxilij & fauoris huiuſmodi contra prædicta omnino ceſſent. Et ſi Dux, Conſiliarij, Commune, ſingulareſq. perſonæ ſupradictæ, Prouiſores, fautores, complices, ſequaces & adhærentes prædicti, exhortationi, requiſitioni, monitioni & mandato noſtris huiuſmodi infra dictos vigintiquatuor dies non paruerint cum effectu, in eoſdem Leonardum Ducem, Rogatorum & generalis Conſilij Conſiliarios, & alias ſingulares perſonas Communis prædicti Venetiarum, necnon Prouiſores, fautores, conſultores, adhærentes, complices & ſequaces, & quemlibet eorum ac ſi nominatim ſinguli præſentibus eſſent expreſſi, qui ſic non paruerint, aut vt non pareatur, ſeu pareri differatur, conſuluerint, ſuaſerint, fecerint, dixerint, vel procurauerint, ſeu aliàs qualitercumque in hoc culpabiles fuerint, directe vel indirecte, tacite vel expreſſe, ex nunc prout ex tunc de eorumdem fratrum conſilio maioris excommunicationis ſententiam promulgamus, & eos illam incurrere volumus eo ipſo, à qua præterquam in mortis articulo conſtituti ab alio quàm à Romano Pontifice etiam prætextu cuiuſlibet facultatis cuicumque pro tempore deſuper conceſſę nequeant abſolutionis beneficium obtinere: ita vt ſi quem eorum tamquam in tali articulo conſtitutum abſolui contingat, qui poſtmodum cum conualuerit, in eamdem excommunicationis ſententiam reincidat eo ipſo, niſi poſt conualeſcentiam monitioni & mandato noſtris prædictis paruerit cum effectu, & nihilominus etiam Eccleſiaſtica careat ſepultura, donec vt præfertur, huiuſmodi mandatis noſtris paritum fuerit. Et ſi moniti excommunicatiq. prædicti dictam excommunicationis ſententiam per alios tres, dictos vigintiquatuor dies immediate ſequentes, animo (quod abſit) ſuſtinuerint indurato, ſententiam ipſam aggrauamus, & ex nunc prout ex tunc Venetia-

tiarum, Paduan. Veronen. Vicentin. Cremonen. Brixien. Teruiſin. Pergamen. Trigeſtin. Tranen. Brundnſin. Hydruntin. Monopolitan. & reliqua à Venetis prædictis etiam de facto tenta & poſſeſſa, Ciuitates, Terras, Caſtra & loca quæcumque citra & vltra mare, ac in maritimis inſulis exiſtentia, & quæ in illis ſunt, Eccleſias, Monaſteria, ac religioſa & pia loca quæcumque, de eorumdem fratrum conſilio prædicta auctoritate Eccleſiaſtico ſubijcimus interdicto, ita vt illo durante in illis etiam prætextu cuiuſuis etiam Apoſtolici indulti perſonis, ordinibus, vel locis conceſſis, præterquam in caſibus à iure permiſſis, & etiam in illis aliàs quàm clauſis ianuis, ac excommunicatis & interdictis excluſis nequeant Miſſæ ac alia diuina officia celebrari. Si vero moniti, excommunicati, & interdicti prædicti per alios tres dies, dictos vltimos tres dies immediate ſequentes ad cor reuerti, occupataq. reſtituere, & noſtris monitioni & mandato prædictis obtemperare diſtulerint, & in ſua voluerint cordis duritia & peruerſa obſtinatione remanere, eos & quemlibet eorum reaggrauationis, anathematizationis, & maledictionis ac damnationis mucrone percutimus, & omnium Eccleſiaſticarum cenſurarum laqueis ligatos & irretitos eſſe decernimus ipſo facto. Et eoſdem Leonardū Ducem, Conſiliarios Rogatorum & generalis Conſilij, & alias ſingulares perſonas Communis Venetiarum, Prouiſores, fautores, adhærentes, complices & ſequaces, reliquosve monitos prædictos, excommunicatos, aggrauatos, interdictos, reaggrauatos, anathematizatos & maledictos, vt præfertur, in eorū proteruia perſeuerantes, reos criminis læſæ maieſtatis, & ab omnibus Romanæ Eccleſiæ deuotis cum eorum bonis perpetuo diffidatos dicta auctoritate & poteſtatis plenitudine decernimus. Et generaliter Ciuitates, Oppida, Terras & loca quæcumque etiam ab eiſdem Venetis non poſſeſſa, ad quæ aliquem eorumdem excommunicatorū declinare contigerit, quamdiu ibidem permanſerit, & triduo poſt receſſum eiuſdem ſimili interdicto ſubijcimus: ac Leonardum Ducatu Venetiarum, & ipſum, necnon Rogatos, Conſiliarios, Prouiſores, & alios monitos, dignitatibus & honoribus in quibus conſtituti exiſtunt, & tam ipſos in ſpecie, quàm præfatum Commune Venetiarum, priuilegijs, conceſſionibus, gratijs & indultis, necnon bonis omnibus quæ in feudum, vel emphiteoſim, ſeu aliàs à Romana vel alijs Eccleſijs, monaſterijs & locis Eccleſiaſticis obtinent, ita vt illi ad quos pertinent, de illis vtpote ad eos libere reuerſis, poſſint pro ſua voluntate diſponere: necnon Commune præfatum iure ſi quid eis competit in Paduan. Veronen. Vicentin. Cremonen. Brixien. Teruiſin. Pergamen. Trigeſtin. Tranen. Brunduſin. Hydruntin. Monopolitan. & alijs Ciuitatibus, Terris tam maritimis, & Inſulis, quàm terreſtribus, & locis eorum ditioni obtemperantibus, ac alijs eorum bonis dicta auctoritate priuamus, ita vt nil ex illis tranſmittatur ad poſteros, & ipſos ſic priuatos reſpectiue ad illa & alia quæcumque, dignitates, adminiſtrationes & officia ſæcularia in poſterum obtinenda inhabilitamus: Eorumdemq. monitorum ſubditos, vaſſallos & feudatarios, & præſertim Paduan. Veronen. Vicentin. Cremonen. Brixien. Taruiſin. Pergamen.

gamen. Trigeſtin. Tranen. Brunduſin. Hydruntin. Monopolitan. aliarumq. Ciuitatum, Terrarum & locorum etiam de facto per eos obtentorum huiuſmodi ciues, incolas & habitatores, & fortalitiorum & arcium in eis degentes Caſtellanos & Cuſtodes, à quorumuis fidelitatis iuramentorum per eos dictis monitis non parentibus prȩſtitorum obſeruatione, iure vaſſallatico & ſubiectione abſoluimus & penitus liberamus. Et vt alij eorum exemplo perterriti ſimilia non attentent, volumus & de ſimili conſilio dicta auctoritate & poteſtatis plenitudine decernimus, quòd Leonardus Dux & alij ſic moniti, excommunicati, interdicti, iteratis vicibus aggrauati, anathematizati, maledicti, & priuati, ſi in ſuo peſſimo propoſito non parendi huiuſmodi monitionibus & mandatis noſtris perſeuerauerint, ex tunc infames exiſtant, & ad teſtimonium non admittantur, teſtamenta & codicillos condere, & ad alicuius ſucceſſionem ex teſtamento vel inteſtato peruenire non poſſint: & ſi iuriſdictionem habeant, cauſæ ad eorum examen non deducantur, nec valeant eorum ſententiæ vel proceſſus: nullus pro eis, nec ipſi pro alijs in quacumque cauſa procurare poſſint: & ſi qui eorum Notarij exiſtant, Inſtrumenta per eos confecta non valeant, ſed cum auctore damnato damnentur: eorum debitores ab his quæ eis debent liberati exiſtant: nulli eis, ſed ipſi alijs ſuper quocumque negotio de iure reſpondere teneantur: Filij quoque & nepotes, alijq. deſcendentes eorumdem vſque ad quartam generationem, Eccleſijs, Monaſterijs, Canonicatibus, dignitatibus, & alijs beneficijs & officijs Eccleſiaſticis quæ eos tunc obtinere contigerit, ſine ſpe reſtitutionis eo ipſo ſint priuati, & ipſis ac alijs natis tunc, & illis qui poſtmodum naſcerentur, vſque ad generationem prædictam ad illa quibus ſic priuati forent, ac aliàs ad Eccleſias, Monaſteria, dignitates, adminiſtrationes & officia, aliaq. beneficia Eccleſiaſtica, & ad quoſcumque ordines & honores Eccleſiaſticos vel mundanos ſit penitus præcluſus aditus & aſcenſus. Et cum ſalubre exiſtat, ac publicæ vtilitati non parum expedire noſcatur, eos ſic tunc tot cenſuris & pœnis ligatos à Chriſtifidelium cœtu tamquam membra putrida, ne eorum verſutijs alios ad eorum perniciem deducant, ſegregare, vniuerſas & ſingulas Paduan. Veronen. Vicentin. Cremonen. Brixien. Teruiſin. Pergamen. Trigeſtin. Tranen. Brunduſin. Hydruntin. Monopolitan. & aliarum Ciuitatum, Terrarum & locorum, ditioni eorumdem Venetorum, vt præfertur, etiam de facto obtemperantes Communitates, Vniuerſitates, & quas in eis tempore quo præfati Veneti priuationis iuris eorum in illis pœnam prædictam incurrent, habitare contigerit ſingulas perſonas, & generaliter quoſcumque vaſſallos eorumdem ſic monitorum, dicta auctoritate de ſimili conſilio requirimus & monemus, vt infra ſex dies à tempore dictæ priuationis, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro vltimo & peremptorio termino eis & cuilibet eorũ canonica monitione præmiſſa aſſignamus, ab eorumdẽ Venetorum, & exiſtentiũ tunc in Ciuitatibus, Terris & locis prædictis pro eiſdem Poteſtatum, Prouiſorum, & quorumlibet aliorum officialium obedientia penitus & omnino quantum in eis eſt ſe ſubtrahant, & illos in eorum ſuperiores nullate-

B nus

nus recognoſcant, nec illorum mandatis obtemperent quoquomodo. Et ſi qui eorumdem ſubditorum & vaſſallorum in his fuerint negligentes vel remiſſi, ſeu aliàs quomodolibet culpabiles, in eos & quemlibet eorũ omnes & ſingulas prolatas per præſentes in eoſdẽ Ducem Venetiarũ, ac alios monitos præfatos, excommunicationis, aggrauationis, reaggrauationis, interdicti, anathematis, maledictionis, diffidationis, priuationis, & inhabilitationis ſententias, cenſuras & pœnas pari modo ex nũc prout ex tunc proferimus & promulgamus in his ſcriptis. Monemus præterea & requirimus auctoritate & poteſtate prędicta omnes & ſingulos forenſes Italicæ, Gallicæ, Theutonicæ, Hiſpanicæ, Anglicæ, Scoticæ, Dalmaticæ, & cuiuſlibet alterius nationis quos tunc Venetijs aut in Ciuitatibus, Terris & locis in quibus Veneti prædicti de iure vel de facto ſuperioritatem obtinent, mercaturæ, vel quauis alia cauſa eſſe contigerit, & mandamus eiſdem, vt poſtquam Veneti prædicti Interdicti ſententiam incurrerint memoratam, quàm primum poterunt ex Venetiarum & alijs locis, in quibus Veneti ſuperioritatem obtinent, vt præfertur, ipſiq. tunc degerint, cum eorum mercibus & rebus omnibus recedant, & ad illa redire, aut in eis conuerſari durante interdicto prædicto nullatenus præſumant: alioquin illos ex eis qui monitioni & mandato huiuſmodi noſtris obtemperare diſtulerint, ſimiles prorſus excommunicationis, aggrauationis, reaggrauationis, interdicti, diffidationis, priuationis, & inhabilitationis, ac bonorum confiſcationis ſententias incurrere volumus eo ipſo, à quibus pari modo ab alio quàm à Romano Pontifice niſi in mortis articulo nullus valeat abſolutionis beneficium promereri. Rurſus tam ipſis qui ſic habitant, & in alijs Ciuitatibus, Terris & locis prædictis, quàm vniuerſis & ſingulis alijs Chriſtifidelibus diſtrictius iniungimus, vt excommunicatos, anathematizatos, maledictos, priuatos & inhabilitatos prædictos euitent, & faciant quantum in eis eſt euitari: nec cum eiſdem Venetis & ſubditis eorum, ſeu ipſorum aliquo, emendo, vendendo, permutando ſeu mercando, vel aliàs quomodolibet contrahendo, commercium habere, aut cum eiſdem per terram vel per mare conuerſari, & in eorum nauibus, triremibus, & alijs nauigijs eorum, ſeu in quibus aliquis eorum, vel eorum mercantiæ, res & bona veherentur, aut eorum res, merces & bona vehi permittere, granũ, vinum, & alia victualia, arma, pannos, merces, & res alias ad eos deferre, vel delata per eos receptare, ſeu ad illa vehendum nauigia & operã eorum præſtare quoquo modo præſumant, ſub ſimilibus cenſuris & pœnis, & etiã nullitatis contractuum, quos inirent, ac perditionis mercium, victualium & bonorum delatorum, quæ capientium illa fiant, & applicentur eiſdem, ſimiliter eo ipſo incurrendis. In pœnam inſuper Venetorum, aliorumq. monitorum non parentium prædictorum, Venetiarum, ac omnium & ſingularum Cathedralium etiam Patriarchalium, Metropolitanarũ, & aliarum inferiorum Eccleſiarum & Monaſteriorum, Prioratuum, domorum & locorum religioſorum & piorum quorumlibet Abbatibus, Prioribus, Canonicis, Monachis etiam Congregationis ſanctæ Iuſtinæ Paduan. Lateranen. & ſancti Saluatoris, necnon ſancti Georgij in Alega nuncupatarũ,

ac vni-

ac vniuerſis & ſingulis Ordinibus Fratrum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum ſancti Auguſtini, Carmelitarum, & Seruorum ſanctæ Mariæ tam Conuentualiũ, quàm de Obſeruantia nuncupatorum, aliorumq. quorumcumque Ordinum & Religionum Prioribus, Miniſtris, Cuſtodibus, Guardianis, & alijs Clericis ſæcularibus & regularibus quibuſcumque nominibus cenſeantur, in Venetiarum, Paduan. Veronen. Vicentin. Cremonen. Brixien. Teruiſin. Pergamen. & alijs Ciuitatibus, Terris & locis prædictis, in quibus ſuperioritatem quamlibet exercent morantibus, diſtricte præcipiendo mandamus, vt infra ſex dies poſt dictos primos viginti quatuor dies immediate ſequentes exeant de Ciuitatibus, Terris & locis prædictis in quibus degunt, ad loca ipſa minime reuerſuri, donec dicti Veneti noſtris monitionibus & mandatis obtemperauerint, & meruerint Interdicti præfati relaxationem obtinere. Et ſi quis de prædictis contrafecerit, ſi Epiſcopi & ſuperiores interdicti, ingreſſus Eccleſiæ; ſi vero inferiores ab eiſdem fuerint, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto, à qua abſolui non poſſint ab alio quàm à Romano Pontifice, niſi in mortis articulo conſtituti. Et præter huiuſmodi interdictum, & excommunicationis ſententiam Epiſcopi & ſuperiores, ac Monaſteriorum Abbates, Commendatarij & alij adminiſtratores, regiminis & adminiſtrationis Eccleſiarum & Monaſteriorum eorumdem, reliqui vero ab eis omnium & ſingulorum beneficiorum, dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, & Officiorum, Canonicatuum & Præbendarum, aliorumq. beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ tunc obtinebunt, & graduum ad quos promoti forent, priuationis pœnam ſine vlla ſpe reſtitutionis ad ea, incurrant ſimiliter eo ipſo: de quibus poſſit & debeat per Sedem Apoſtolicam, & ab illa facultatem habentes Apoſtolica auctoritate dumtaxat abſque alia declaratione incurſus pœnæ huiuſmodi illico prouideri. Concedimus tamen quòd in Cathedralibus, & alijs Collegiatis & non Collegiatis Eccleſijs, & domibus Prædicatorum & Minorum, ac aliorum Religioſorum & ſæcularium duo, tres, quatuor, quinque vel ſex pro cuſtodia ſecundum magnitudinem & paruitatem ipſarum Eccleſiarum vel domorum, conuerſi & illiterati, vel Clerici in minoribus Ordinibus conſtituti, & in Eccleſijs Parochialibus pro miniſtrando Baptiſmate paruulorum, pœnitentia morientium, & alijs Sacramentis Eccleſiaſticis quæ miniſtrantur tempore interdicti, earum Rectores ſeu aliàs curæ animarum Præpoſiti ibidem licite valeant remanere. Eccleſijs autẽ & monaſterijs, domibus & locis Eccleſiaſticis, in quibus interdicto huiuſmodi durãte Miſſæ & alia diuina officia fuerint celebrata contra interdictum huiuſmodi, & quorum perſonæ contra mandatum noſtrum in illis remanere præſumpſerint, omnes gratias, omnia priuilegia & indulta adimimus, ita vt eis in poſterum nullatenus ſuffragentur. Ad reprimendum præterea eorumdem Venetorum inobedientiam, & aliena rapiendi & tenendi inſatiabilem cupiditatem, & temerarios conatus: vniuerſis & ſingulis Ducibus, Marchionibus, Communitatibus, Baronibus, Domicellis, feudatarijs, Vicarijs & vaſſallis, ac alijs quibuſcumque in temporalibus præfatæ Romanæ Eccleſiæ mediate vel

immediate quomodolibet ſubiectis & non ſubiectis, diſtricte præcipimus & mandamus, ne ad ſtipendia eorumdem Ducis, Conſilij & Communis Venetiarum, aut eis fauentium militare, aut eorum ſtipendia capere, ſeu ad ſtipendia huiuſmodi vel aliàs cum eis ſe vel ſuos armigeros ac ſequaces locare, eisq. aliquod auxilium, conſilium vel fauorem quomodocumque præſtare audeant. Quinimmo ſi qui cum eiſdem ad præſens militant, quoniam in omni obligatione excepta ſemper intelligitur reuerentia & obedientia Romani Pontificis, non obſtante quacumque obligationis formula, qua obligati forent, quæ quatenus contra Romanam Eccleſiam militare promiſiſſent, non aſtringat eoſdem, cum nullius ſit roboris vel momenti, infra vigintiquatuor dies à publicatione præſentiũ computandos, ab ipſis Duce, Conſilio & Communi Venetiarum, eorumq. obſequijs & ſtipendijs omnino recedant. Et in omnes & ſingulos ex eis qui contra mandatũ huiuſmodi facere, vel venire tentauerint quoquo modo per ſe vel alios, directe vel indirecte, ſimilis excommunicationis, anathematis, maledictionis, & priuationis ac inhabilitationis, necnon in terras, dominia, & loca eorum, ſi quæ tunc eos habere & obtinere contigerit, interdicti, & in eos eorumq. deſcendentes priuationis dignitatum, dominiorum, feudorum, & bonorum, ac priuilegiorum, gratiarum & beneficiorum Eccleſiaſticorum, ac inhabilitationis dominiorum, & bonorum confiſcationis, ſententias, cenſuras & pœnas prædictas ex nunc prout ex tunc promulgamus, eosq. illas incurrere volumus eo ipſo: quæ ſimiliter per alium quàm Romanum Pontificem præterquam in mortis articulo, vt de alijs ſuperius eſt expreſſum, nequeant ſubmoueri. Inhibemus etiam quibuſcumque temporale dominium obtinentibus etiã Regali, Ducali, Principatus, Marchionatus, Comitatus, & Baroniæ, vel alia dignitate fulgentibus ſub ſimilibus cenſuris & pœnis per eos ſi contrafecerint eo ipſo incurrendis, ne cum eiſdem Duce, Conſilio & Commune Venetiarum directe vel indirecte ad impediendam recuperationem Ciuitatum, Terrarum & locorum noſtrorum, vel ad defenſionem, ſeu auxilium eorumdem ſe nobis vel pro eadem Romana Eccleſia agentibus, aut munitionem belli opponant in praiudicium dictæ Romanæ Eccleſiæ tendentis, ligam, confederationem, ſeu colligationem, vel intelligentiam ineant, aut hactenus forſan initas, factas & concluſas, quæ quatenus ad præiudicium prædictæ Eccleſiæ tendant, etiam ſi pœnarum adiectione, iuramentoq. ſint vallatæ, illarum tenores ac ſi inſererentur pro expreſſis habentes, non tenere, & nemini quominus eiſdem Venetis fauendo ſub colore earum cenſuras & pœnas prædictas incurrant, excuſationem præſtare poſſe declaramus, obſeruent quoquo modo. Ceterum ſi moniti, excommunicati, interdicti, anathematizati, maledicti, priuati, & inhabilitati prædicti, poſtquam priuationis & inhabilitationis pœnas prædictas incurrerint, obſtinata animi duritie noſtris monitioni & mandato prædictis vlterius diſtulerint obtemperare, ex nunc prout ex tunc omnes Reges, Duces, Principes, Marchiones, Barones, Communitates, Vniuerſitates, & quoſcumque alios terrarum Dominos, & gentium armorum Capitaneos ad quorumcumque fidelium

lium

lium ſtipendia militantes, & alias quaſcumque perſonas tam per mare quàm per terram facultatem & poteſtatem habentes, requirimus per præſentes, eisq. & cuilibet ipſorum in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, quatenus contra eoſdem Venetos hac in ſua obſtinatione perſeuerantes, pro honore prædictæ Sedis armis inſurgant, eosq. perſequi & debellare, ad reſtitutionem quoque ablatorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ faciendam cogere procurent, & ne noſtras Ciuitates & loca quæcumque occupent, ſe eis opponant, & in ipſorum Venetorum pœnam, & pro eorum plectenda rebellione huiuſmodi, quoſcumque Venetos, & eorum Ciuitatibus, Terris & locis & dominijs degentes, & Ciuitatum, Terrarum & locorum, quorum Communitates, Vniuerſitates, & incolæ præfatos Venetos in eorum dominos recognoſcere, & eis vt eorũ dominis obtemperare præſumpſerint, poſtquam ipſi Veneti priuationis iuris eorum in illis pœnam incurriſſent, vbicumque eos inuenerint, capiant & captiuos teneant, eorumq. mercantias, pecunias, nauigia, credita, res & bona omnia in proprios vſus conuertant. Nos enim auctoritate & de plenitudine poteſtatis præmiſſa, ipſis arma ſumentibus, & aliquos eorumdem Venetorum & ſubditorum eiſdem tunc eorum ditioni obtemperantium, eorum res & bona in huiuſmodi euentum capientibus vniuerſa, pecunias, iocalia, mercantias, nauigia, animalia, res & bona mobilia & immobilia vbique locorum etiam extra loca Territorij eorumdem Venetorum, Ciuitates quoque, Caſtra & loca eorumdem Venetorum, quæ ſic ceperint, eis in prædam concedimus, & volumus illa ad eoſdem capientes pleno iure pertinere: & perſonas ex Venetijs, aut alijs Ciuitatibus, Terris & locis, quorum Communia & Vniuerſitates ab eorum obedientia, prout eis mandatur per præſentes, ſe non ſubtraxerint, vt præfertur, originem trahentes, ſeu in illis domicilium habentes, quas vbique locorum capi contigerit, ſeruos fieri capientium. Concedimus quoque eiſdem qui ſic contra eoſdem Venetos pro Romanæ Eccleſiæ defenſione, & rerum ſibi ablatarum, & Apoſtolicæ auctoritatis reintegratione, ipſorum Venetorum bello & oppugnationi huiuſmodi ſe oppoſuerint, & ad defenſionem noſtram quomodolibet præſtiterint auxilium, conſilium vel fauorem, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem. Et ſi qui Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, Communitates, Vniuerſitates, Collegia tam in Italia quàm extra Italiam conſtituta, aut quæuis aliæ etiam particulares perſonæ per ſe, vel alium ſeu alios publice vel occulte, directe vel indirecte quouis quæſito colore eiſdem Venetis excommunicatis, anathematizatis, maledictis, priuatis & inhabilitatis, contra Romanam Eccleſiam in præmiſſis vel aliquo eorum, arma, pecunias aut commeatum miniſtrare, ſeu auxilium, conſilium vel fauorem quouis modo præbere præſumpſerint, aut cum commode poſſent, à ſpolio, deprædatione, & captura eorumdem Venetorum & ſubditorum ſuorum abſtineant, quicumque fuerint etiam quacumque excelſa præditi dignitate, maledicti & excommunicati exiſtant, & diuino percuſſi anathemate, nec de ſalute animæ ſperent, niſi ante finem vitæ pœnitentiam agentes

tes

tes Apoſtolica fuerint auctoritate abſoluti. Vniuerſitates vero ſciant ſibi diuinis penitus interdictum: & niſi ſe correxerint, diuinam expectent vltionem. Et nihilominus earum ſingulares perſonæ paribus excommunicationis ſententia & alijs pœnis, quibus alij excommunicati prædicti, exinde innodentur. Et vt præmiſſa omnibus innoteſcant, vniuerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum Prælatis, Capitulis & perſonis alijs Eccleſiaſticis etiam quorumuis Ordinum etiam Mendicantium Religioſis, exemptis & non exemptis, per vniuerſum orbem & præſertim in Italia conſtitutis, mandamus quatenus ipſi & quilibet eorum ſub ſimilibus cenſuris & pœnis per eos & ſingulares perſonas eorumdem Capitulorum, ſi poſtquam vigore præſentium requiſiti fuerint, infra tres dies, quorum vnum pro primo, & alium pro ſecundo, ac reliquũ pro tertio & peremptorio termino Canonica monitione præmiſſa aſſignamus, non paruerint, eo ipſo incurrendis, eoſdem Ducem, Conſiliarios, Commune Venetiarum, & ſingulares eiuſdem Communis perſonas, Officiales, Prouiſores, conſiliarios, fautores, adhærentes, complices & ſequaces eorum, ac alios monitos præfatos, decurſis eis aſſignatis terminis prædictis ſi non paruerint, in eorum Eccleſijs Dominicis & alijs feſtiuis diebus dum maior inibi populi multitudo conuenerit ad diuina, cum Crucis vexillo pulſatis campanis, & accenſis candelis, ac demum extinctis, & in terram proiectis & conculcatis, & cum trina lapidum proiectione, alijsq. in talibus ſeruari ſolitis cæremonijs, excommunicatos publice nuntient, ac faciant & mandent ab alijs nuntiari, & ab omnibus arctius euitari, necnon omnibus alijs Chriſtifidelibus, vt eos euitent. Et pari modo ſub prædictis cenſuris & pœnis præſentes litteras, vel earum tranſumptum, ſub forma infraſcripta factum, infra terminum trium dierum, vt præfertur, præfixum, in Eccleſijs, Monaſterijs, Conuentibus & alijs eorum locis publicari & affigi faciant, & eiſdem Venetis cum per eorum tacitam rebellionem à grege Dominico ſe ſeparauerint, cuncta neceſſaria denegent miniſtrare, donec compuncti corde ſpiritum aſſumentes conſilij ſanioris, noſtris monitionibus & mandatis prædictis obtemperauerint, & meruerint à cenſuris & pœnis prædictis abſolutionis ac reſtitutionis beneficium, ac aliàs integram reconciliationis eorum gratiam à nobis & à Sede prædicta obtinere. Excommunicamus quoque & anathematizamus omnes cuiuſcumque ſtatus, conditionisve fuerint, qui quominus præſentes litteræ noſtræ, vel earum tranſumpta, copiæ ſeu exemplaria in ſuis Terris aut dominijs legi, affigi, aut publicari, ac ad omnium notitiam deduci poſſint, fecerint vel procurauerint quoquo modo. Eccleſijs quoque, Monaſterijs, Conuentibus, & alijs quibuſuis ſacris locis, in quibus denegatum fuerit per illarum Prælatos & perſonas litteras ipſas publicari, omnia priuilegia, omnia indulta, omnes gratias quibus ab Apoſtolica Sede decorantur, adimimus, volentes illa pro non conceſſis haberi. Poſtremo quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula loca deferri in quibus neceſſarium foret; volumus & Apoſtolica auctoritate decernimus, quòd earum tran-

ſumpto

ſumpto manu Notarij publici confecto, vel in alma Vrbe per dilectum filium Iacobum Mazochium impreſſo,& ſigillo alicuius Prælati Eccleſiaſtici munito vbique ſtetur, prout originalibus litteris ſtaretur,ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Et quia dolus & fraus nemini debent patrocinari, nullus vano decipiatur errore,vt intra tempus ſui regiminis prædictas cenſuras & pœnas vel aliquas earum ſuſtineat, quaſi poſt illud non ſit ad ſatisfactionis debitum compellendus: nam & ipſum qui ſatisfacere, & in aliquo præmiſſorum mandatis noſtris obtemperare noluerit,etiam depoſita adminiſtratione,& ſucceſſorem eius,niſi paruerit,decernimus eiſdem pœnis incluſum, ac in omnibus & per omnia obligatum. Et cum præſentes litteræ Venetijs propter eorumdem Venetorum potentiam nequeant tute publicari: ne Veneti & alij quos litteræ ipſæ contingunt,quibusve aliquid mandatur vel prohibetur per eaſdem, valeant de præmiſſis ignorantiam allegare,& prætextu ignorantiæ huiuſmodi ſi non paruerint, velamen excuſationis aſſumant: volumus litteras ipſas in valuis baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe affigi, & per huiuſmodi affixionem publicari: Decernentes quòd earumdem litterarum publicatio ſic facta perinde eoſdem monitos, & omnes quos litteræ ipſæ contingunt, arctet, ac ſi litteræ ipſæ die affixionis & publicationis huiuſmodi eis perſonaliter lectæ & inſinuatæ forent: cum non ſit veriſimilis coniectura, quòd ea quæ tam patenter fiunt,debeant apud eos incognita remanere. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrarijs quibuſcumque, ſeu ſi monitis prædictis,vel quibuſuis alijs communiter vel diuiſim à Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ hortationis, requiſitionis, & monitionis, mandati,aſſignationis, promulgationis, voluntatis, aggrauationis,ligationis,decreti, priuationis, inhabilitationis, prolationis, conceſſionis, præcepti,inhibitionis,excommunicationis, & anathematizationis,infringere &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ M.D.IX. quinto Kalendas Maij,Pontificatus noſtri anno ſexto.

Sigiſmundus.

Anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo nono, Indictione duodecima, die vero viceſimaſeptima menſis Aprilis, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri D. Iulij diuina prouidentia Papæ Secundi anno ſexto, præſentes retroſcripta litteræ Apoſtolicæ præfati ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ,affixa & publicata fuerunt in Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe ac Cancellaria Apoſtolica valuis ſeu portis & acie Campi floræ, per ambos Curſores hic ſubſcriptos, videlicet Eurardum du Viuier præfati ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ & Romanæ Curiæ Curſorem. Ita eſt Michael le Boux Curſor ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ, & ipſorum Curſorum modernus Magiſter.

IVLII PAPAE II.

Declaratio contra Venetos, qui ab eiuſdem monitorio appellauerant ad futurum Concilium.

IVLIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI Ad perpetuam rei memoriam.

SVSCEPTI regiminis nos cura ſollicitat, vt eorum malitijs & audaciæ, quorum ſceleris cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas, animas occupantes (diſcordiarum fautore, ac ſchiſmatum inuentore & alumno, humani generis inimico procurante) eos in illam temeritatem impellunt, vt quæ ſibi à iure interdicta, & à ſanctis Patribus etiam in congregatione fidelium, pro huius ſanctæ Sedis dignitate, & Eccleſiæ vnitate ſeruandis, ad ſchiſmatis occaſionem tollendam (quo in Dei Eccleſia pernicioſior morbus inueniri vix poteſt) Spiritu ſancto cooperante, nō minus prouide & ſalubriter, quàm neceſſarie decreta & ſtatuta eſſe nouerint, damnata audacia & exquiſitis artibus & fraudibus attentare temere conentur, & eis contrauenire contendant, nunc nouorum editione iurium, nunc antiquorum innouatione & declaratione, nunc vero extenſione, & nouarum pœnarum adiectione, prout ſalubriter expedire conſpicimus, ſollicitis ſtudijs obuiare curemus. Sane licet olim fel. rec. Pius Papa II. prædeceſſor noſter, de fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, cunctorumq. Prælatorum, ac diuini & humani iuris interpretum, Curiam Romanam ſequentium, in dieta ſeu congregatione Mantuana exiſtentium approbatione, matura prius & graui præmiſſa diſcuſſione, & de eorumdem congregatorum vnanimi conſilio & aſſenſu, ac ex certa ſcientia, prouocationes ad futurum Concilium efficaciſſimis & palpabilibus rationibus, tamquam erroneas & deteſtabiles damnauerit, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & interdicti pœnis præceperit, ne qua perſona cuiuſuis dignitatis, ſiue etiam Vniuerſitas, aut Collegiū, quouis quæſito colore, ab ordinationibus, ſententijs, ſeu mandatis quibuſcumque ſuis ac ſucceſſorum ſuorum appellationem huiuſmodi interponere auderet, & contrafacientes vnà cum fautoribus ſuis, & conſilium auxiliumve præſtantibus (ſiue hi tabelliones eſſent, ſiue teſtes, ſiue aduocati, ſiue alij quicumque) non ſolum pœnis & cenſuris prædictis, ſed etiam ijs quæ læſæ maieſtatis, & hæreticæ prauitatis reis imponuntur, obnoxios eſſe ſtatuerit: Leonardus tamen Lauredanus Dux, Rogati, ac generale Conſilium & Commune Venetiarum, omneſq. & ſinguli patritij & ciues Communis eiuſdem, vnà cum Prouiſori-

bus, Poteſtatibus, Commiſſarijs, & reliquis officialibus ſuis (quorum auctoritate, induſtria, conſilio, opera, aut fauore, Ciuitates, Oppida, Caſtra & arces ad nos & ſanctam Romanam Eccleſiam legitime pertinentes, occupatæ fuerant aut detinebantur) de fratrum noſtrorum conſilio, à nobis requiſiti & moniti, vt intra certum terminum, ſub pœnis tunc expreſſis, nos & ſanctam Apoſtolicam Sedem plene & omni ex parte, in conceſſa ſibi auctoritate & libertate, cum obedientia recognoſcerent & redintegrarent, ac Rauennam, Ceruiam, Ariminum, Fauentiam, Sarſinam ciuitates, cum oppidis, caſtris, terris, & diſtrictu ipſarum, cumq. Cęſenaten. Forliuien. ac Imolen. Territorijs, Caſtris, Oppidis, Terris & locis quæ occupabant, integre & expedite nobis & dictæ Romanæ Eccleſiæ, cuius iuris eſſe noſcebantur, relaxarent, atque inde recederent, nec impedirent quominus illorum ciues & habitatores ad piæ matris ſuæ Romanæ Eccleſiæ obedientiam reuerterentur; omnes eorum fautores ab auxilij in talibus præſtatione deterrendo; ita quod requiſitioni, monitioni & mandato noſtro huiuſmodi non parentes, maioris excommunicationis ſententia, de ſimili conſilio eo ipſo innodati cenſerentur, à qua præterquam in mortis articulo conſtituti, per alium quàm per Romanum Pontificem, etiam prætextu cuiuſcumque facultatis cuicumque pro tempore conceſſæ, abſolui non poſſent (quam quidem excommunicationis ſententiam in huiuſmodi non paritionis euentum, iteratis etiam vicibus aggrauauimus) paternis monitis & ſalutaribus iuſſis obſequi, prout debebant, indebite recuſantes, ſeu qui iuri proprio diffidunt, & ſuperioris mandata contumaciter obaudiunt, vt quæ minus iuſte vſurparunt, indebite etiam cum animarum ſuarum detrimento retineant; ad prohibitum atque damnatũ remedium confugientes, à requiſitione, monitione & mandato, ac ſententijs, cenſuris & pœnis prædictis, nulla conſtitutionis Pij prædeceſſoris hoc expreſſe vetantis, habita ratione, ad futurum Concilium temere (vt accepimus) prouocarunt: prout etiam perditionis filij, quondam Ioannes Bentiuolus, & eius nati, cum eos à tyrannica oppreſſione dilectæ ciuitatis noſtræ Bononiæ expellere decreuiſſemus, damnabiliter feciſſe dicuntur, videlicet ad futurum Concilium prædictum appellaſſe & prouocaſſe. Nos igitur quàm deteſtanda ſit eorum peruerſitas attendentes; qui proprijs innixi commodis, & nefarijs cupiditatibus mancipati, ſalubria decreta Patrum & ſuperiorum iuſſa ſpernentes, inconſutilem Chriſti tunicam ſcindere, aut etiam ſciſſionis cauſam præbere contendunt, & Eccleſiæ vnitatem diuidere, prædictæ ſanctæ Sedis Apoſtolicæ principatum tollere, & contra tot ſanctorum Patrum & ſacrorum Conciliorum decreta, temere & damnabiliter magna audacia venire non erubeſcunt, & contrafacere non verentur; aſſerentes inter cetera, conſulentes, perſuadentes, determinantes, ſeu determinationi huiuſmodi intereſſentes, ſola conſilij præſtatione ſeu perſuaſione, deliberatione aut determinatione, quòd aliquibus caſibus à Romano Pontifice, ſeu eius ſententia, vel decreto, ad futurum Concilium generale appellari poſſit, dicta Pij prædeceſſoris conſtitutione non ligari, niſi in ipſa actuali appellatione, & illius interpoſitione

vel ſcripturæ compoſitione,ſe immiſcuerint; Ne de cetero tali aſſertione ſe excuſare, ac tale quid in poſterum præſumere impune valeant, opportunam tam immani & periculoſo morbo medelam adhibere volentes;hac generali & in perpetuum valitura conſtitutione, ex certa noſtra ſcientia & poteſtatis plenitudine,de venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio promulgata, ſancimus conſtitutionem Pij prædeceſſoris præfatam,tam citra quàm vltra montes,& in vltramontanis partibus,quo ad omnes tam Eccleſiaſticas quàm ſæculares perſonas, etiam Regali dignitate ac Cardinalatus honore fulgentes,Capitula,Vniuerſitates,Communitates & Collegia,Congregationes,&Synodos, ac Parlamenta, valuiſſe, valere, & perpetuo valituram declaramus,cum ſuppletione ſolemnitatis cuiuſlibet, etiam publicationis omiſſæ, cuius in illa edenda vel publicanda defectus prætendi poſſet, quæ iuxta illam fieri requirebatur, eamq. ex præterito nunc & in poſterum inuiolabiliter obſeruari mandamus; ipſius violatores, cuiuſcumque dignitatis exiſtant, pœnis & cenſuris in eadem expreſſis, quocumque tempore ſubiacere ſtatuentes, contraria conſuetudine ſeu potius corruptela non obſtante: Decernentes & declarantes vltra pœnas impoſitas (quas ipſo facto dictos violatores & contrauenientes incurrere volumus) ipſos & eorum quemlibet pro veris & indubitatis ſchiſmaticis, & inconſutilis tunicæ Domini noſtri IESV Chriſti violatoribus & diſſipatoribus, ac de Catholica fide male ſentientibus, habendos & reputandos, pœnisq. canonicis & legalibus contra tales impoſitis ſubiacere, & cum Dathan & Abiron partem & damnationem habere, ipſasq. etiam pœnas & earum quamlibet omnes illos incurrere volumus, cuiuſcumque conditionis exiſtat,& gradus prærogatiua fulgeant, qui in Senatu,Conſilijs, Parlamentis, Congregationibus,etiam Synodalibus & Prouincialibus, vel aliàs quomodolibet, tacite vel expreſſe,voce vel ſcripto,per ſe vel aliũ (cuiuſcũque timoris vel reuerentiæ velamine, vel prætenſa excuſatione, & ſuperioris mandato non obſtantibus) decreuerint, conſuluerint, ſeu deliberauerint, vel aliorum dicta approbauerint, conſilium aut vocem dederint, vt ad futurum vniuerſale Concilium à nobis vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus contra prædictam conſtitutionem appellare liceat, poſſit, vel debeat; dictas pœnas ad ipſos & eorum quemlibet contrauenientem in præmiſſis, tenore præſentium extendentes, & locum habere declarantes, omni ambiguitate ceſſante. Et nihilominus prouocationes & appellationes, tam per Leonardum Ducem, Rogatos, Conſilium & Commune Venetiarum factas huiuſmodi, quàm per quoſcumque alios prædictos pro tempore faciendas, & inde ſecuta quæcumque (vtpote contra Pij prædictã ac præſentem conſtitutionem attentatas) nullas, prout ſunt, & inualidas, nulliusq. roboris vel momenti fuiſſe, & pro tempore fore, auctoritate, ſcientia & poteſtate ſimilibus ſtatuimus, decernimus & declaramus, ac pro potiori cautela caſſamus & annullamus.Et vltra ſupradictas pœnas, quas contra conſtitutionis huiuſmodi violatores in ſuo robore permanere decernimus, loca quæcumque, ad quæ violatores ipſos declinare,& in quibus

bus ſcienter ſtare permitti contigerit, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto; decernentes illud, quamdiu ipſi violatores inibi ſcienter ſteterint vt præfertur, & per triduum poſt eorum inde diſceſſum, firmiter obſeruari. Ac præſentes litteras in quinterno Cancellariæ etiã deſcribi mandamus. Non obſtantibus præmiſſis,ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceterisq. contrarijs quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſanctionis, declarationis, mandati,ſtatuti,decreti, voluntatis, extenſionis, caſſationis, annullationis & ſuppoſitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei,ac beatorũ Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nono, Kalend. Iulij, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Ia. Quæſtemberg.

Sigiſmundus.

MANDATA REIPVB. VENETAE ad concordandum cum Iulio II. Pont. Max. ac Sede Apoſtolica, & petendum abſolutionem à cenſuris in eiuſdem monitorio contra eos promulgato contentis, vna cum capitulis & conuentionibus ab eiuſdē Reip. Oratoribus initis, confirmatis & promiſſis.

IN CHRISTI NOMINE, AMEN.

Anno à Natiuitate eiuſdem M. D. I X. Indictione duodecima, die vero vltimo menſis Iulij, Illuſtris Princeps & excellentiſs. Dominus D. Leonardus Lauredanus Dei gratia inclytus Dux, & excellentiſſimum Dominium Venetorum &c. vnà cum ſuis Conſilijs habentibus ad infraſcripta omnia & ſingula exercenda & peragenda pleniſſimam auctoritatē & facultatē, de more vocatis & rogatis, omnibus vijs & modis, iuribus & titulis, formis & cauſis quibus melius potuerunt & poſſunt, pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, ac vice & nomine Dominij Reipublicæ Venetæ fecerunt, conſtituerūt, creauerunt & ordinauerunt, ac faciunt & conſtituūt, creant & ordinant ſuos & dicti Dominij & Reipublicę Sindicos, actores, factores, procuratores legitimos, negotiorū geſtores, & nuntios ſpeciales, magnificos & præſtantes viros D. Dominicum Triuiſanum Equitem, Procuratorem S. Marci, D. Leonardum Mocenigo, D. Aloyſium Maripetro, D. Paulū Capellū Equitem, D. Paulum Piſani Equitem, & D. Hieronymum Donatū doctorem, nobiles Venetos, & quemlibet eorum in ſolidum & de per ſe, ita quòd occupātis conditio potior non exiſtat, ſed quod vnus eorum incœperit, alius & eorū quilibet proſequi, mediare valeat & finire, & ad effectū perducere, ſpecialiter & expreſſe ad comparendū nominibus quibus ſupra, coram Sanctiſſimo & Beatiſſimo Patre Domino D. Iulio diuina prouidentia ſacroſanctæ Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifice, & ſimiliter coram ſacro Collegio Reuerendiſſimorum Cardinalium eiuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tam vnite quàm ſeparatim, & tā ſemel quàm pluries, ſicuti opus fuerit: Et poſt declaratam per eos ſingularem deuotionem, & filialem obſeruantiam ipſorum Dominorum conſtituentium, quæ ſingulis temporibus fuit erga Sanctitatem præfatam, & ſanctam Sedem Apoſtolicam, & optimā & conſtantiſſimam mentem & diſpoſitionem perſeuerandi, ſicuti ſemper fuit peculiare inſtitutum Veneti Dominij, ſupplicandū, vt dignetur benignitate ſua atque clementia eumdem Illuſtriſs. Principem, Dominium & Rempublicam Venetam, ac ſtatum ſuum in gratiam recipere, amplecti, & fouere, ſicuti pientiſſimo Pontifici conuenit: & ſicuti reuerenter paruerunt monitorio Apoſtolico, ſic etiam per ſuam Beatitudinem ſingulis Principibus & Dominijs Chriſtianis ipſius obedientia, ac paterna & clementiſſima ſuſceptio per Beatitudinem ſuam facta declaretur: Et ſi quouis

modo ipſi Domini conſtituentes nominibus antedictis, vel eorum aliqui in vllas cenſuras & pœnas incurriſſent in dicto monitorio expreſſas, beneficium abſolutionis ac totalem remiſſionem, & relaxationem interdictorum ſpecialium vel generaliũ in eorum monitorio contentorũ, tam in Ciuitate, quàm in Dominio & alijs locis eiſdem ſuppoſitis, humiliter & deuote petendum, requirendum, & obtinendum, & ſi opus fuerit, renuntiandũ omnibus & quibuſcũque appellationibus & proteſtationibus quomodocumque & qualitercumque per ipſos Dominos conſtituentes interpoſitis coram quibuſcumque perſonis, ac admiſſionibus eorum,& litteris teſtimonialibus quomodolibet promulgatis, ac contentis in eis, ac ſi nullo vmquam tempore factæ, emanatæ vel impetratæ fuiſſent, etiam ſi tales forent, quæ de iure ſub generalibus verbis non comprehenderentur, vel venirent,atque de iure deberent expreſſe & ſpecialiter nominari,cum quibuſcumque promiſſionibus, pactis, ſtipulationibus, renuntiationibus, iuramentis etiam in animam prædictorum principalium conſtituentium, & cuiuſlibet eorum,cautelis & clauſulis opportunis,& quæ dictis eorum ſindicis & procuratoribus, & cuilibet eorum neceſſariæ videbuntur: Et generaliter ad alia omnia & ſingula dicendum, faciendum,promittendum,& renuntiandum,quæ in prædictis, & circa prædicta, & quolibet prædictorum,& inde pendentibus, connexis & annexis eiſdem, vel ab eiſdem, ſeu altero eorum, & prorſus extraneis de iure,aut conſuetudine quomodolibet requiruntur & exiguntur,etiam ſi talia eſſent quæ mandatum exigerẽt ſpeciale,quæ ex nũc prout ex tunc dictus Illuſtris Princeps & Domini conſtituentes,vt ſupra prænominatis Sindicis & Procuratoribus, & eorũ cuilibet expreſſe conceſſerunt, & pro conceſſis ſpecialiter & nominatim haberi voluerunt ac ſi in præſenti inſtrumento de eis facta foret mentio ſpecialis, & quæ prædictus Illuſtris Princeps & Dominium Venetorum facere poſſent per ſe in prædictis, & circa prædicta, & quolibet prædictorum tam de iure, quàm de conſuetudine, & quilibet verus & legitimus ſindicus & procurator cum pleno, libero, & generali mandato,quomodolibet facere poſſet: Dantes & concedentes dicti Domini conſtituentes nominibus quibus ſupra,dictis eorum ſindicis & procuratoribus,& cuilibet eorũ in prædictis,& circa prædicta, & quolibet prædictorum, & dependentibus & connexis eiſdem,plenum, liberum, & generale mandatum, ac etiam ſpeciale, vbi exigitur, cum plena,libera, ſpeciali & generali adminiſtratione,bailia & poteſtate, quæ in præfatis & circa præfata quacumque via & forma requiruntur: Promittentes dicti Domini conſtituentes nominibus quibus ſupra, & mihi Notario infraſcripto vt publicæ perſonæ & authenticæ ſtipulanti & recipienti vice & nomine Sindicorum ſupraſcriptorum, ac aliorum omnium & ſingulorum quorum intereſt,intererit,vel intereſſe poterit in futurum, ſe perpetuo & omni tempore firma, rata, & grata habituros quæcumque dicti magnifici Domini Procuratores & Sindici, & eorum quilibet in prædictis, & circa prædicta, & quolibet prædictorum,& occaſione eorum duxerint facienda,& contra ea,vel eorum aliquod vllo tempore non facere, vel venire per ſe vel alium ſeu alios quauis

occa-

occaſione vel cauſa, tam de iure quàm de facto vel conſuetudine, ſub obligatione & hypotheca omnium bonorum prædicti Illuſtriſs. Principis & Dominij præſentium & futurorum. De quibus omnibus & ſingulis præfati Domini conſtituentes vnum vel plura inſtrumenta publica & authentica fieri mandauerunt, & ad maius robur præſens inſtrumentum iuſſerũt bulla ſua plumbea pendente muniri. Actum Venetijs in ſala maioris Conſilij eiuſdem Illuſtriſs. Dominij, præſentibus ſpectatiſſimo viro domino Gaſpare à Vidua, & ſpectabilibus dominis Aloyſio Sabadino, & D. Andrea de Franciſcis, & D. Vincentio Sabadino Ducalibus ſecretarijs, teſtibus ad præmiſſa ſpecialiter vocatis, notis, habitis, atque rogatis.

Ego Ioannes Baptiſta de Andrianis q. D. Aloyſij publicus Imperiali & Veneta auctoritatibus Notarius, ac eiuſdem Illuſtriſs. Dominij Secretarius, præmiſſis omnibus & ſingulis dum ſic vt præmittitur agerentur interfui, rogatus ſcripſi, & alijs occupatus manu aliena ſcribi feci, ac diligenter cum originali collationaui: Et quia in omnibus concordare inueni, ac in nullo penitus diſſentire: ideo in fidem me ſubſcripſi, ſignumq. meum appoſui conſuetum.

Mandatum aliud.

IN CHRISTI NOMINE, AMEN.

Anno à Natiuitate eiuſdem M. D. IX. Indictione duodecima, die vero vndecima menſis Septembris, Cum Sanctiſſimus & Beatiſſimus in Chriſto Pater & Dominus noſter D. Iulius diuina prouidentia ſacroſanctæ Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ ſummus Pontifex velit nonnulla tractare & peragere cum magnificis Oratoribus Illuſtris Domini Principis & Domini D. Leonardi Lauredani inclyti Ducis, & excellentiſſimi Dominij Venetorum, ad præſens in Curia reſidentibus, pro bona conſeruatione deuotionis & filialis obſeruantiæ ſuæ ergà Beatitudinem antedictam, & licet clare & perſpicue videri potuerit per alterum mandatũ eiuſdem Illuſtris Principis & inclyti Dominij, & totius Reipublicæ Venetæ, rogatum per me Notarium infraſcriptum ſub die vltima menſis Iulij proximè præteriti, quanta fuerit & ſit, & deinceps proculdubio ſit futura filialis obſequentia ſua, non ſolùm circa monitorium, verum & ad alia omnia tractanda, & fine debito terminanda, cum Conſilijs pleniſſimam libertatem habentibus fuit eiſdem magnificis dominis Oratoribus ampliſſima facultas & libertas attributa: tamen pro reuerentia Beatitudinis ſuæ, & vt cunctis perſeuerantia dicti Illuſtris Principis & vniuerſi Dominij pateſiat, vnà cum præfatis Conſilijs ampliſſimam facultatem habentibus, omnibus melioribus modis, vijs, iuribus, titulis, formis & cauſis, quibus melius & validius fieri poteſt & debet, fecerunt, conſtituerunt, creauerunt & ordinauerunt, ac faciunt, conſtituunt, creant & ordinant ſuos & dicti Dominij, ac totius Venetæ Reipublicæ Sindicos, actores, factores, procuratores legitimos, negotiorum geſtores, & nuntios ſpeciales, præfatos magnificos Oratores ſuos, videlicet, præclaros viros dominos Dominicũ Triuiſanum Equitem, Procuratorem ſancti Marci, Leonardum Mocenigo,

Aloyſium Maripetro, Paulum Capellũ Equitem, Paulum Piſani Equitem, & Hieronymum Donatũ Doctorem, nobiles Venetos abſentes tamquam præſentes, ſed me Notario eorum nomine ſtipulante & recipiente, ac eorum quemlibet in ſolidum & de per ſe, ita quod occupantis conditio potior non exiſtat, ſed quod vnus eorum inceperit, alius & eorum quilibet proſequi, mediare valeat & finire, ac ad effectum perducere, ſpecialiter & expreſſe ad omnia & ſingula agendum, tractandum, peragendum, concludendum, & fine debito terminandum cum eodem Sanctiſſimo Domino noſtro, ac ab eo deputatis vel deputandis, vel alio quocumque eius nomine ſubſtituto vel ſubſtituendo, quocumque nomine & quouis titulo cenſeatur, quæcumque, quaſcumque, quantumcumque, & qualiacumque fuerint, & ſi talia forent, quæ de iure ſub generalibus verbis non comprehenderentur vel venirent, aut de iure deberent expreſſe & ſpecifice nominari, & requirerent ſpeciale mandatum, & ad rogandum de prædictis omnibus & ſingulis quæ ſtipulata & conuenta fuerint, ac pro eorum obſeruatione vnum & plura publica inſtrumenta, cum quibuſcumque promiſſionibus, pactis, ſtipulationibus, iuramentis, etiam in animam prædictorum principalium conſtituentium, & cuiuſlibet eorum, cautelis, promiſſionibus, obligationibus, terminis, conuentionibus, formis, articulis, & clauſulis opportunis; & quæ dictis magnificis Sindicis ac Procuratoribus, ac eorum cuilibet neceſſariæ & opportunæ viſæ fuerint: & generaliter ad omnia & ſingula dicendum, faciendum, procurandum, & exercendum, quæ in præmiſſis & circa præmiſſa, & quolibet præmiſſorum, & inde pendentibus & emergentibus, connexis & annexis, & prorſus extraneis ab eiſdem, vel ab eiſdem, ſeu altero eorum, aut quibuſcumque alijs maioribus, remotis & prorſus extraneis, de iure vel de facto, aut conſuetudine quomodolibet requirũtur & exiguntur, etiam ſi eius generis eſſent quæ mandatum exigerent ſpeciale, quæ ex nunc prout ex tunc idem Illuſtris Princeps, & Domini conſtituentes prænominatis Sindicis & Procuratoribus, ac eorum cuilibet & de per ſe, ampliſſime & expreſſe conceſſerunt & attribuerunt, ac pro conceſſis & attributis ſpecialiter & nominatim haberi voluerunt, ac ſi in præſenti inſtrumento de vnoquoque eorum facta eſſet mentio ſpecialis, & Illuſtris Princeps & vniuerſum Dominium Venetum facere per ſe poſſent in prædictis, & circa prædicta, & quolibet prædictorum tam de iure, quàm de facto vel conſuetudine, & quæ quilibet verus & legitimus ſindicus & procurator cum pleno, libero & generali mandato quoquo modo facere poſſet: Dantes & concedẽtes dicti Domini conſtituentes nominibus quibus ſupra, dictis eorũ Sindicis & Procuratoribus, ac vnicuique eorum in prædictis, & circa prædicta, & quolibet prædictorum, ac dependentibus, annexis & connexis eiſdem, extraneis, & maioribus & remotis, plenum, liberum, & generale mandatum, ac etiam ſpeciale vbi exigitur, cũ plena, libera, ſpeciali & generali adminiſtratione, bailia ac poteſtate, quæ in prædictis & circa prædicta quacumque via vel forma requirũtur: Promittentes dicti Illuſtris Princeps, & inclytũ Dominium Venetorũ vnà cum Conſilijs authenticis, mihi Notario infraſcripto

vt publicæ perſonæ & authenticæ agenti, ſtipulanti, & recipienti nomine & vice magnificorum dominorum Sindicorum, de quibus ſupra, ac aliorum omnium & ſingulorum, quorum intereſt, intererit, aut intereſſe poterit in futurum, ſe perpetuo & omni tempore firma, rata & grata habituros quæcumque dicti magnifici Procuratores & Sindici, ac eorum quilibet tam coniunctim quàm diuiſim in præmiſſis, & circa præmiſſa, ac eorum quolibet, ac ab eis dependentibus, emergentibus, annexis & connexis, & prorſus extraneis fecerint, promiſerint, ſtipulauerint & conuenerint; & contra ea nullo vmquam tempore non facere vel venire per ſe vel alium, ſeu alios quauis occaſione vel cauſa, tam de iure quàm de facto, vel conſuetudine, ſub obligatione & hypotheca omnium bonorum præfati Illuſtris Principis & Dominij præſentium & futurorum: Et in præmiſſorũ fidem iuſſerunt præſens inſtrumentum cum bulla ſua plumbea pendente muniri. Actum Venetijs in ſala veteri prædicti Illuſtris Dominij, præſentibus ad pręmiſſa ſpectabilibus viris D. Aloyſio Sabadino, D. Aloyſio Barbaſella, & D. Ioanne Soro Ducalibus Secretarijs, teſtibus ad ſupradicta omnia & ſingula vocatis, notis, ſpecialiter habitis & rogatis.

Ego Ioannes Baptiſta de Andrianis q. Aloyſij publicus Imperiali & Veneta auctoritatibus Notarius, quia præmiſſis omnibus interfui rogatus ſcripſi, & alijs occupatus negotijs aliena manu ſcribi feci, & cum authentico vnà cum abraſione facta in prima linea ad vnguem concordare inueni, & ideo in fidem me ſubſcripſi, ac ſignum meum appoſui conſuetũ.

Mandatum tertium.

IN CHRISTI NOMINE, AMEN. Anno Natiuitatis eiuſdem M. D. X. Indictione decimatertia, die vero decimaquinta menſis Februarij, licet Illuſtris Princeps, & excellens Dominus D. Leonardus Lauredanus inclytus Dux, & excellentiſſimum Dominium Venetiarum fecerint & inſtituerint ſuos procuratores legitimos, magnificos & præclaros viros dominos Dominicum Triuiſanũ Equitem, Procuratorem ſancti Marci, Leonardum Mocenigo, Aloyſium Maripetro, Paulum Capellũ Equitem, Paulum Piſani Equitem tunc in humanis agentem, & Hieronymum Donatũ Doctorem, Oratores ſuos in Romana Curia reſidentes, cum ampliſſimo mandato, facultate & libertate ad omnia & ſingula agendũ, tractandum, & fine debito terminandũ cum ſanctiſſimo Domino noſtro Domino Iulio diuina prouidentia Pontifice ſummo, ac cum ſacro Collegio Reuerendiſſimorum Dominorum Cardinalium, vel ab eis inſtitutorum, vel ſubſtituendorum, cum omnibus clauſulis neceſſarijs & opportunis, prout conſtat duobus procuratorijs inſtrumẽtis, primò ſub die vltimo menſis Iulij, ſecundo ſub die vndecimo menſis Septembris proxime præteritorum, rogatis & ſtipulatis manu mei Notarij infraſcripti: tamen, vt cunctis innoteſcat perpenſiſſimus animus, & filialis diſpoſitio ſua ergæ Beatiſſimum Dominum noſtrum præfatum, & Sedem ſanctã Apoſtolicam, cum Conſilijs plenam auctoritatem & facultatem habentibus voluerunt, & in nomine Domini noſtri I E S V Chriſti omnibus melio-

ribus

ribus modo, via, iure, & forma quibus magis melius & validius fieri poteſt & debet, de nouo fecerunt, conſtituerunt, creauerunt & ordinauerunt, ac virtute præſentis publici inſtrumenti & authentici, faciunt, conſtituũt, creant & ordinant ſuos & dictæ Reipublicæ veros, legitimos & indubitatos procuratores, actores, factores, negotiorum geſtores, ſindicos, & nuntios ſpeciales & generales, ita tamen quòd ſpecialitas generalitati nõ deroget, nec è contra, magnificos & præſtantes viros dominos Dominicũ Triuiſanum Equitem Procuratorem, Leonardum Mocenigo, Aloyſium Malipetro, Paulum Capellũ Equitem, & Hieronymũ Donatum Doctore, nobiles Venetos ad præſens in Romana Curia reſidentes, abſentes tamquam præſentes, ſed me Notario publicò eorum nomine ſingulariter ſtipulanti & recipienti, ac vnumquemque eorum in ſolidum & de per ſe, ita quod occupantis conditio potior non exiſtat, ſed quod vnus incœperit, alius & ipſorum quilibet proſequi, mediare valeat & finire, & ad effectum perducere, ſpecialiter & expreſſe ad comparendum coram præfato ſanctiſſimo ac Beatiſſimo Domino noſtro Domino Iulio diuina clementia ſacroſanctæ Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ Pont. Max. ad confitendũ & recognoſcendũ litteras Apoſtolicas monitoriales aliàs per præfatũ S.D.N. decretas ſub Datum anno Incarnationis Dominicæ M. D.I X. quinto Kal. Maij, Pontificatus eiuſdem anno ſexto, contra præfatos Illuſtres Principem, ac vniuerſam ciuitatem Venetiarum, terras & loca ſua, ad eorum notitiam perueniſſe, ac legitime & ex veris & legitimis de cauſis proceſſiſſe, ac propterea renuntiantes appellationi & proteſtationi in ſcriptis per eos interpoſitæ, & admiſſioni ipſius, & alijs quibuſuis actibus ſuperinde ſecutis, ac ſi numquam factæ vel facti fuiſſent, ita quod nullius ſint roboris vel momenti: Et inſuper ad petendum humiliter & deuote à Sanctitate ſua veniam & abſolutionem à cenſuris in eis contentis, & quibuſuis alijs, & Interdicti in illis contenti relaxationem, & eam vel eas dicto vniuerſali nomine deuote recipiendum: Et inſuper ad infraſcripta omnia & ſingula agendum, tractandum, concludendum, & fine debito terminandũ cum Sanctitate ſua: Ac inſtrumentum cum capitulis, clauſulis, conditionibus, & obligationibus de verbo ad verbum inferius annotatis, concludendum, ſtipulandum, & roborandum, cum eadem facultate, bailia & libertate, ac ſi idem Illuſtris Princeps & excellentiſſimum Dominium Venetorum intereſſet, & facere poſſet. Tenor autem Inſtrumenti cum omnibus & quibuſcumque capitulis, clauſulis, & obligationibus conficiendis, ſtipulandis, & roborandis talis eſt, videlicet.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

Per hoc præſens publicum Inſtrumentum cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quòd anno à Natiuitate eiuſdem M. D. X. Indictione xiij. die vero xxiiij. menſis Februarij, Pontificatus ſanctiſſ. in Chriſto Patris & D.N. D. Iulij diuina prouidentia Papæ II. anno ſeptimo, in præſentia eiuſdem S. D. N. Papæ, meiq. Notarij publici, & teſtium infraſcriptorum ad hæc vocatorum & rogatorũ, perſonaliter conſtituti magnifici viri domini Domini-

minicus Triuiſanus Eques,Procurator ſancti Marci,D.Leonardus Mocenigo, D.Aloyſius Maripetro,D.Paulus Capellus Eques,& D. Hieronymus Donatus Doctor, nobiles Veneti, Oratores, ſindici, & procuratores per Illuſtriſſimum & excellentiſſimum Principem Dominum Leonardum Lauredanum Ducem, Rogatos, Conſiliarios, & Dominium Venetiarum legitimo & ſufficienti nŭmero ac ſolito loco congregatos,prout in ſimilibus & alijs grauibus negotijs peragendis facere conſueuerunt,legitime conſtituti, non vi, dolo, metu, fraude, aut aliqua ſiniſtra machinatione circumuenti, ſed ſponte & libere, & ex certa eorum ſcientia ac voluntate, maturaq. deliberatione præhabita,in modum infraſcriptum, & iuxta capitula & conuentiones infraſcriptas ibidem exhibitas, ac de verbo ad verbum lectas & intellectas, promiſerunt,conuenerunt, & obligauerunt: quorum Capitulorum & conuentionum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis.

CAPITVLA ET CONVENTIONES inter Pontificem, & Illuſtrem Dominium Venetorum.

IN primis præfati Oratores,procuratores & ſindici expreſſe renuntiauerunt cuicumque appellationi interpoſitæ per dictum Dominium, aut eius nomine,ad futurum Concilium, & cuilibet proteſtationi vel ſcripturæ ad eam pertinentibus,illamque,& illas prout ſunt,pro nullis,friuolis, & penitus infectis haberi voluerunt: ſeq. facturos & curaturos promiſerunt, quòd Epiſcopi ſeu Prælati coram quibus appellatio & proteſtatio prædictæ interpoſitæ fuerunt, perſonaliter ad Romanam Curiam venient,& S. D. N. ſe præſentabunt veniam petituri, & pœnitentiam eis iniungendam recepturi.

Item nominibus & modo quibus ſupra, ante omnia recognouerunt & confeſſi fuerunt litteras Apoſtolicas monitoriales aliàs per S. D. N. ſub Datum anno Incarnationis Dominicæ M. D IX. quinto kal. Maij,Pontificatus eiuſdem anno vj. contra Ducem, Rogatos, Conſiliarios, & alios Venetiarum ciuitatis Præſidentes, Dominium, eiusq. Terras & loca decretas, de quibus illarumq. tenore, ac ſingulis clauſulis & capitulis in eiſdem contentis, plenam & indubitatam notitiam habere aſſeruerunt, legitime & ex veris & legitimis cauſis emanaſſe: petieruntq. humiliter & deuote abſolutionem à cenſuris in eis contentis,& quibuſuis alijs,& Interdicti in eis contenti relaxationem.

Item nominibus & modo quibus ſupra,expreſſe & ſolemniter promiſerunt nullo vmquam tempore,aut quouis quæſito colore,ſeu quauis cauſa in futurum aliquas decimas,ſeu impoſitiones, ſeu collectas,aut quæcumque onera Clericis, vel Eccleſiaſticis perſonis, tam ratione perſonarum, quàm quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſeu etiam Eccleſiarum,Monaſteriorũ, vel locorum religioſorum, aut Hoſpitalium imponere, ſeu impoſita exigere.

Item nominibus & modo quibus ſupra, promiſerunt de cetero perpetuis

tuis futuris temporibus non impedire quoquomodo per ſe vel alium ſeu alios, collationes, præſentationes, inſtitutiones, prouiſiones, ſeu quaſlibet diſpoſitiones per Sedem Apoſtolicam vel Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, ſeu eiuſdem Sedis Legatos, & quoſcumque alios Ordinarios, de quibuſcumque Dignitatibus Eccleſiaſticis etiam Metropolitanis aut Patriarchalibus, ſeu Monaſterijs etiam Conſiſtorialibus, aut quibuſcumque alijs Dignitatibus, Officijs, ſeu beneficijs Eccleſiaſticis regularibus, vel ſæcularibus, & alijs pijs locis hactenus quomodolibet factas, ſeu faciendas, & de eis nullatenus ſe intromittere; quinimmo illorum omniũ & ſingulorum poſſeſſionem liberam & expeditam per eos, vel ad quos ſpectat, ſine contradictione vel moleſtia tradi, & traditas retineri permittere.

Item nominibus & modo quibus ſupra, promiſerunt deinceps perpetuis futuris temporibus, per ſe vel alium ſeu alios ex quauis cauſa & quouis quæſito colore aut ingenio non impedire, nec ſe quoquomodo intromittere quominus cognitio cauſarum fori Eccleſiaſtici libere exerceatur per Iudices Eccleſiaſticos, & per eos dictæ cauſæ cognoſcantur & terminentur in quacumque inſtantia tam in Romana Curia, quàm in alijs locis, prout Sanctiſs. D. N. & Romano Pontifici pro tempore illas in quocumque ſtatu committi contigerit: Nec appellationes & prouocationes in cauſis prædictis ad eamdem Sedem vel alios interponi, & interpoſitas libere proſequi etiam in Romana Curia impedient. Nec pariter Clericos, aut Eccleſiaſticas perſonas prædictas abſque expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, vel alterius Eccleſiaſtici Iudicis ad quem ſpectat, capi, carcerari, detineri, aut quauis moleſtia in eorum bonis, perſonis, aut beneficijs affici facient aut permittent.

Item nominibus & modo quibus ſupra, promiſerunt & conuenerunt decetero perpetuis futuris temporibus nullo modo impedire, ſeu facere directe vel indirecte, quouis quæſito colore aut cauſa, quin ſubditi omnes & ſinguli, immediate eidem S. R. E. ſeu Ciuitatum, Caſtrorum, Terrarũ, locorum quorumcumque eiuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, omnes & ſinguli ciues, ruſtici, habitatores & incolæ, ſubditi vero mediate eidem S.R.E. etiam, Terras, Ciuitates & Caſtra, ac loca quæcumque in Vicariatum ſeu feudum tenentes, eorumq. ſubditi, & Ciuitatum, Terrarum, Caſtrorum, & locorum eorumdem ciues, ruſtici, habitatores & incolæ in Marchia Anconitana, & Romandiola, comprendendo etiam ciuitatẽ Ferrarienſem, eiusq. Comitatum, Territorium & Diſtrictum, dumtaxat exiſtentes, cum eorum omnium & ſingulorum nauibus, ſeu nauigijs cuiuſcumque generis, mercantijs & bonis in illis exiſtentibus cuiuſcumque generis & qualitatis fuerint, libere & expedite, ac penitus ſine aliqua gabellarum aut pedagiorum ſeu onerum quorumcumque ſolutione, vel exactione, ad quæcumque loca tam per ſinum maris Adriatici, quàm quæcumque alia maria, & aquas etiam dulces, nauigare poſſint: quinimmo promiſerunt, quòd eos, vt præfertur, libere nauigare permittent, nec nauigia, homines, mercantias, & bona prædicta quocumque modo, & quouis colore & cauſa impedient, retinebunt, aut retardabunt, etiam præ-

textu

textu vel colore alicuius prætenſæ cuſtodiæ maris, cui quo ad præmiſſa ſpecialiter & expreſſe renuntiauerunt, ſiue etiam prætextu viſionis dictorum bonorum ſeu mercantiarum, aut librorum mercantilium in dictis nauigijs, aut penes ipſos nauigantes quomodolibet exiſtentium, etiam ſub eo prætextu quòd mercantia, & bona, & alia prædicta ad quaſcumque alias perſonas etiam non ſubditas, in parte vel in totum pertinere dicerentur.

Item nominibus & modo quibus ſupra, promiſerunt & conuenerunt perpetuis futuris temporibus parere mandatis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ; quinimmo tamquam ipſius deuoti filij numquam erunt in facto, opere, conſilio, aut auxilio contra Sedem Apoſtolicam, & Romanum Pontificem pro tempore, publice vel occulte, & hoc ſub pœnis & cenſuris in dictis litteris monitorialibus, & alijs infra contentis.

Item nominibus & modo quibus ſupra, promiſerunt & conuenerunt caſſare, & cũ effectu irritare, prout ex nunc pro caſſis & irritis habent omnes & ſingulos contractus, capitula & conuentiones hactenus cum quibuſuis Ciuitatibus, Communitatibus, Terris, ſeu locis eidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubiectis, in præiudicium ipſius Romanæ Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ, & contra eius libertatem quomodolibet reſpectiue initos & facta.

Item nominibus & modo quibus ſupra, promiſerunt & conuenerunt perpetuis futuris temporibus aliquos rebelles, ſeu inimicos, vel exititios eiuſdem Sedis Apoſtolicæ in terris eorum, & dicti eorum Dominij vbicumque exiſtant non recipere, vel admittere, aut illos ſeu aliquem illorum quomodolibet protegere, & ſi qui in præſentiarum in locis prædictis reperiuntur, illos infra menſem proxime futurum licentiare, & cum effectu expellere: Ac etiam quòd quoſcumque Vicarios, Feudatarios, aut Domicellos, ſeu Barones Terrarum & locorum quorumcumque eidem Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubditorum, etiam Duces, aut quocumque præeminentiæ titulo inſignitos, ſiue eorum Terras, Ciuitates, ſtatus & bona, in eorum ſeu dicti Dominij protectione non recipient, nec recipi permittent publice vel occulte ſine expreſſa licentia Romani Pontificis pro tempore exiſtentis.

Item nominibus & modo quibus ſupra, promiſerunt & conuenerunt deinceps perpetuis futuris temporibus de ciuitate Ferrarienſi, illiusq. Comitatu, Territorio & diſtrictu, illorumq. gubernio & regimine ad Romanam Eccleſiam & ad Sedem Apoſtolicam pleno iure legitime ſpectantibus & pertinentibus, quouis modo ſeu cauſa, aut quouis quæſito colore, directe vel indirecte, etiam ratione prætenſi Vicedominatus, cui & prætenſis iuribus in petitorio & poſſeſſorio in eo quomodolibet competentibus ſpecialiter & expreſſe renunciauerunt, ſe nullatenus intromittere.

Item nominibus & modo quibus ſupra, promiſerunt & conuenerunt reficere & reſtituere cum effectu omnia & ſingula damna illata & facta, ac etiam pecunias, & quæcumque bona quibuſuis Monaſterijs, Eccleſijs,

Congregationibus, & alijs locis & perſonis Eccleſiaſticis cuiuſcumque qualitatis exiſtant, hactenus per ipſos, eorumq. Officiales prætextu vel occaſione paritionis & obſeruationis litterarum monitorialium prędictarum, & Interdicti & cenſurarum in eis contentarum, eis & ab eis reſpectiue illatis & ablatis, ſi qua illata & ablata reſpectiue reperiantur, dictasq. perſonas & loca à damnis & bonorum ablationibus prædictis releuare, & indemnes conſeruare.

Pro quibus omnibus & ſingulis præmiſſis & præinſertis Capitulis contentis ſic, vt præmittitur, tenendis, attendendis, complendis, & inuiolabiliter obſeruandis, dicti Oratores, ſindici & procuratores nominibus quibus ſupra, prædictos dominos Leonardum Lauredanum, & pro tempore exiſtentem Ducem, Rogatos, & totum Dominium Venetorum cum omnibus & ſingulis Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Caſtris, rebus & bonis mobilibus & immobilibus, iuribus & actionibus quibuſcumque ad dictum Dominium quauis occaſione vel cauſa ſpectantibus & pertinentibus, & vbicumque exiſtentibus, prædicto S. D. N. Papæ, & pro tempore exiſtenti ſummo Pontifici, & ſacro Collegio Reuerendiſſimorum S.R.E. Cardinaliũ, necnon Cameræ Apoſtolicæ, ſub pœnis, & in ampliori & ſtrictiore forma Cameræ prædictæ obligarunt & hypothecarunt, dictosq. D. Leonardũ, & pro tempore exiſtentem Ducem, Rogatos, & Dominium, ac Ciuitates, Terras & alia bona, iura & actiones ſuperius expreſſa, iuriſdictioni, coercitioni, compulſioni, iuribus, & mero examini Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ prædicti D.N. Papæ, ac Dominorũ Camerarij, Vicecamerarij, eiusq. Auditoris, Viceauditoris, Regentis, Locumtenentis, & Commiſſarij eiuſdem, etiam per pactum expreſſum ſolemni ſtipulatione vallatum, omniumq. aliarum Curiarum Eccleſiaſticarum & ſæcularium in quibuſcumque mundi partibus exiſtentiũ, ſeu conſtitutarũ, in qua ſeu quibus hoc præſens publicum Inſtrumentum exhiberi contigerit, ſeu etiam produci; totaliter ſuppoſuerunt & ſubmiſſerunt: per quas quidem Curias, & earũ quamlibet, ac ipſarum, & cuiuſlibet earum Auditores, Iudices, & Officiales, prædicti Domini Dux, Rogati, Conſiliarij & Dominium totiens quotiens contrauentum fuerit in toto vel in parte contentis in dictis Capitulis, voluerunt ad inſtantiam tam moderni, quàm pro tempore exiſtentis ſummi Pontificis, ſeu dicti ſacri Collegij, vel Cameræ Apoſtolicæ poſſe cogi, compelli, conſtringi, excommunicari, aggrauari, & reaggrauari, etiã cum inuocatione auxilij brachij ſæcularis, ac realiter & perſonaliter conueniri vſque ad integram obſeruationem omnium & ſingulorum in dictis Capitulis præinſertis, & in præſenti publico inſtrumento contentorũ; ita tamen quòd vna dictarum Curiarum electa per prædictum modernum, & pro tempore exiſtentem ſummum Pontificem, aut dictum ſacrum Collegium, ſeu Cameram Apoſtolicam, & iudicio incœpto in ea, nihilominus ipſa dimiſſa ad aliam ſeu alias Curiam, ſeu Curias ire & redire poſſit, & habere recurſum, nullum ſibi neque ſuis propter electionem huiuſmodi præiudiciũ generando: Renuntiaruntq. dicti Oratores nominibus quibus

ſupra

ſupra, exceptioni dictorum Capitulorum, non ſic, vt præmittitur, per eos celebratorum, & aliter fuiſſe dictum & recitatum quàm ſcriptum, & è conuerſo, ac exceptioni doli mali, vis, metus, fraudis, in factum actioni, condictioni indebitum ob cauſam & ſine cauſa, & ob iniuſtam, ſeu turpem cauſam reſtitutioni in integrum, & cuilibet proteſtationi publice vel occulte quomodolibet factæ vel fiendæ, necnon omni iuris Canonici & Ciuilis auxilio, omni appellationis remedio, dationiq. & oblationi libelli, litis conteſtationi, ad arbitrium boni viri reductioni, & reclamationi copiæ præſentis publici inſtrumenti, ſeu eius notæ & Capitulorum prædictorum, ac à quibuſcumque alijs priuilegijs, beneficijs, ferijs, inducijs, immunitatibus factis & fiendis, ac omnibus alijs & ſingulis exceptionibus, iuribus & defenſionibus impetratis & impetrandis quibuſcumque, & ſub quocumque tenore verborum, quibus mediantibus, contra præmiſſa vel aliquod præmiſſorum in præſenti publico inſtrumento, & Capitulis prædictis, ac eorum quolibet contentorum facere, dicere vel venire poſſent, aut ſe in aliquo defendere, iuuare vel tueri, & ſpecialiter iuriſdicenti generalem renuntiationem non valere niſi præceſſerit ſpecialis & expreſſa. Et ibidem incontinenti prædicti Oratores, ſindici & procuratores nominibus quibus ſupra, ad maiorem firmitatem & cautelam omnium & ſingulorum præmiſſorum, ac aliorum in præſenti publico inſtrumento & Capitulis prædictis contentorum, omnibus melioribus modo, via, iure, cauſa & forma, quibus melius & efficacius potuerunt & debuerunt, fecerunt, conſtituerunt, creauerunt, & ſolemniter ordinauerunt ſuos, veros, certos, legitimos & indubitatos procuratores, actores, factores, negotiorumq. ſuorum infraſcriptorum geſtores, ac nuntios ſpeciales & generales, ita tamen quòd ſpecialitas generalitati non deroget, nec è contra, videlicet, Prouidos & diſcretos viros magiſtrum Marianum de Cuccinis, Nicolaum de Parma, Petrum de Aretio, necnon Ioannem Baptiſtam de Eccleſia, Andream de Portijs, & Tranquillum de Romaulis, dictæ Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarios, & alios quoſcumque procuratores & Notarios, qui nunc ſunt, & pro tempore erunt, quorum nomina & cognomina hic haberi voluerunt pro ſufficienter expreſſis, licet abſentes tamquã præſentes, ac eorum quemlibet in ſolidum, ita tamen quòd non ſit melior conditio primitus occupantis, nec deterior ſubſequentis, ſed quod vnus eorum inceperit, alter eorum id proſequi, mediare & terminare valeat & finire, ad comparendum pro ipſis D. Duce, Rogatis, Conſiliarijs, & Dominio prædictis omni tempore, die & hora feriatis, & non feriatis, ac totiens quotiens prædicto ſummo Pontifici nunc & pro tempore exiſtenti, & ſacro Collegio videbitur & placuerit, coram dictis dominis Camerario, Vicecamerario, Auditore, Viceauditore, Regente, Locumtenente, & Commiſſario eiuſdem, ac aliarum Curiarum Officialibus & iudicibus, ſeu eorum locatenentibus, & omnia & ſingula in præinſertis Capitulis contenta & expreſſa, eorumque, & cuiuſlibet eorum contrauentionem, ſeu inobſeruantiam ſemel & pluries, & quoties opus fuerit confitendum, re-

cognoſcendum, & ad petendum, audiendum, & recipiendum ipſorum Ducis, Rogatorum, & Dominij nominibus, & pro ipſis omne præceptum, omnemq. monitionem, condemnationem, ſententiam atque mandatũ, quæ, quod & quam prædicti domini Camerarius, Vicecamerarius, Auditor, Viceauditor, Regens, Locumtenens, & Commiſſarius, & alij Iudices & Officiales, ſeu ipſorum Locumtenentes, & eorũ quilibet contra prædictos dominos Ducem, Rogatos & Dominium, Terras, loca & bona prædicta facere & ferre voluerint, & eis ſponte acquieſcendum, & ad ſubmittendum, & reſubmittendum propterea prædictos D. Ducem, Rogatos, Conſiliarios & Dominium pro præmiſſis firmiter obſeruandis, iuriſdictioni Curiarum ſupradictarum, & cuiuſlibet ipſarum, & ad volendum & conſentiendum expreſſe quod ipſi domini Camerarius, Vicecamerarius, Auditor, Viceauditor, Regens, & Locumtenens, & Commiſſarius, & alij Iudices & Officiales contra prædictos D. Ducem, Rogatos, Conſiliarios & Dominium, eiusq. ſingulares perſonas excommunicationis ſententiam, & per Sanctiſſimum Dominum noſtrum ſeu Romanum Pontificem pro tempore Interdicta quæcumque ferant, promulgent, & decernant, aliosq. proceſſus reales & perſonales gerant & faciant, quos voluerint, & dicto ſummo Pontifici nunc & pro tempore exiſtenti, & ſacro Collegio viſum fuerit expedire: Et generaliter omnia alia & ſingula faciendum, dicendum, gerendum & procurandum, quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria fuerint, ſeu opportuna, etiam ſi talia forent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quàm præſentibus eſt expreſſum. Promittentes inſuper dicti domini Oratores, ſindici & procuratores nominibus quibus ſupra eidem S.D.N. ibidẽ præſenti & acceptanti, ſacro Collegio, & Cameræ Apoſtolicæ, & mihi Notario publico infraſcripto tamquam publicæ & authenticæ perſonæ pro eis & quolibet eorum ſolemniter ſtipulanti & recipienti, ac vice & nomine omnium & ſingulorum, quorũ intereſt, intererit, aut intereſſe poterit quomodolibet in futurum, ſe ratum, gratum atque firmum perpetuo habituros totum id & quidquid per dictos procuratores conſtitutos actum, dictum, geſtum, factum, procuratumve fuerit in præmiſſis, ſeu quolibet præmiſſorum: Releuantes nihilominus ex nunc, & releuare volentes eoſdem ſuos procuratores ab omni onere ſatiſdandi, ac iudicio ſiſti, & iudicatum ſoluendi, cum omnibus & ſingulis clauſulis neceſſarijs & opportunis, ſub hypotheca & obligatione dicti domini Ducis, Rogatorum, Conſiliariorum, ac Dominij, bonorum, terrarum & locorum prædictorum, mobilium & immobilium, iurium & actionum præſentium & futurarum, & qualibet alia iuris & facti renuntiatione ad hęc neceſſaria pariter & cautela. Et inſuper prædicti domini Oratores, ſindici & procuratores in manibus eiuſdẽ S.D.N. Papæ, & in præſentia mei Notarij publici infraſcripti, vt ſupra recipientis & ſtipulantis, ſponte & libere ad ſancta Dei Euangelia, tactis per eos ad hoc corporaliter ſcripturis ſacroſanctis, ſolemniter iurauerunt & promiſerunt ſupradictos ſuos procuratores, vt ſupra conſtitutos, aut eorum aliquem non reuocare, neque reuocari facere, nec contra

tra præmiſſa, aut quodlibet præmiſſorũ facere, dicere, vel venire, nec vllo vnquam tempore conſentire in iudicio & extra, publice vel occulte, directe vel indirecte, quouis quæſito colore, ſed ea attendere & obſeruare, & rata & grata habere, donec & quouſque omnia & ſingula in præſenti inſtrumento & Capitulis prædictis, ac quolibet eorum realiter & cum effectu contenta, fuerint totaliter adimpleta. De & ſuper quibus omnibus & ſingulis præmiſſis dicti domini Oratores, ſindici & procuratores nominibus quibus ſupra, eiſdem Sanctiſſimo Domino Noſtro Papæ, & ſacro Collegio, & Cameræ Apoſtolicæ, per me Notarium publicum infraſcriptum vnum vel plura publicum vel publica fieri atque confici petierunt inſtrumentum & inſtrumenta.

Actũ in ciuitate Venetiarum in palatio Illuſtriſſimi Principis antedicti, præſentibus ad omnia & ſingula ſic vt præmittitur geſta, ſpectabilibus viris dominis Nicolao Stella, Ioanne Soro, & Vincentio Sabadino Ducalibus ſecretarijs, teſtibus ad præmiſſa vocatis, notis, & ſpecialiter rogatis.

Ego Ioannes Baptiſta de Andrianis q. Aloyſij, ſupradicto ſindicatui cum omnibus & ſingulis capitulis, obligationibus, & conditionibus interfui, & rogatus ſcripſi, & ſtipulaui die & milleſimo ſupraſcriptis, hora vigeſimaquarta. Verum alijs occupatus negotijs, aliena manu ſcribi feci, & in omnibus præciſe concordare inueni. Ideo in præmiſſorum omnium fidem me ſubſcripſi, ſignumq. meum appoſui conſuetum, & ad maius robur prædictus Illuſtriſs. Dominus ſolito ſuo plumbeo ſigillo muniri mandauit.

Die xxiiij. Februarij M.D.X. conſtituti perſonaliter coram S.D.N. D. Iulio diuina prouidentia Papa Secundo, & ſacro Reuerendiſſimorum Dominorum S.R.E. Cardinalium Collegio, adſtante etiam ibidem Reuerendiſſimo D. Raphaele Epiſcopo Portuenſi, Camerario D.N. Papæ, ac Reuerendis Patribus dominis Vicecamerario, Clericis & Præſidentibus Cameræ Apoſtolicæ, necnon dominis Iuſtino de Caroſijs Aduocato, & Mariano de Cucinis Procuratore fiſcalibus, ac magna parte Prælatorum, aliorumq. Romanæ Curiæ Officialium, ſupradicti domini Oratores, ſindici & procuratores requiſiti & interpellati per dictum dominum Marianũ de Cucinis fiſci procuratorem ſuper obſeruatione ſupraſcriptorum mandatorum, & Capitulorum in illis contentorum, promiſerunt omnia & ſingula ſupraſcripta ſe, Ducem, Rogatos, Conſiliarios, ciues & Dominium ciuitatis Venetiarum inuiolabiliter obſeruaturos, ac paratos eſſe obtemperare mandatis eiuſdem S.D.N. & Sedis Apoſtolicæ, ſubijciendo ſe ac Ducem, Rogatos, Conſiliarios ac ciues & Dominium præfatos iuriſdictioni S.D.N. Papæ, & dicti Camerarij, Vicecamerarij, Auditoris, & aliarum eius Curiarum iuxta formam & tenorem dictorum mandatorum: & ita ad ſancta Dei Euangelia, ſacroſanctis ſcripturis corporaliter manu tactis, ante pedes S.D.N. Papæ antedicti iurauerunt, & renuntiauerunt, & alia fecerunt, & ſe facturos dixerunt iuxta dictorum mandatorum formam & teno-

tenorem, præſente eodem domino Mariano Procuratore, & prædicta omnia & ſingula ſtipulante & acceptante nomine prædicti S. D. N. & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Cameræ Apoſtolicæ, & petente ſuper prædictis vnũ vel plura fieri inſtrumentum vel inſtrumenta per me Laurelium Amerinũ, & omnes alios eiuſdem Cameræ Apoſtolicæ Notarios, ad perpetuam rei memoritm, ac prædicta omnia regiſtrari in libris in Archiuio dictæ Cameræ.

Et ego Laurelius Amerinus Cameræ antedictæ Notarius de mandato ſubſcripſi.

ABSOLVTIO VENETORVM ab excommunicatione & anathemate per Iulium II. Pontificem Maximum, cum omni ſolemnitate & Miſſa in ſecunda Dominica Quadrageſimæ. Anno Domini M. D. X.

Extracta ex tertio Tomo Diariorum Paridis Craſſi eo tempore Cæremoniarum Magiſtri.

DIE Dominica ſecunda Quadrageſimæ, quæ fuit xxiiij. menſis February, S. D. N. abſoluit Oratores Venetos vice & nomine Ducis ac Dominij Venetiarum ab excommunicatione & anathemate, his cæremonijs, & hoc modo, videlicet.

Menſibus præteritis Papa mihi impoſuit, vt inquirerem à ſaculo circa, quot abſolutiones fuerint ſolemniſſime per Pontifices factæ, quia volebat intelligere modum, quem quiſque ſeruauerat. Et retuli quod à Sixto IIII. auunculo ſuo, vſque in hoc ipſo, quatuor Abſolutiones habitæ fuerunt, videlicet.

Primo idem Pontifex Sixtus anno octauo ſui Apoſtolatus abſoluit tres nobiles Barones Hiſpanos de ciuitate Legionenſi, qui ante aliquo tempore Epiſcopum Legionenſem interfecerant, & ob hoc Pontifex eos nudos ſub Porticu baſilicæ ſancti Petri cum virgis verberauit, aſſiſtentibus duodecim Presbyteris, ſimiliter cum virgis verberantibus.

Deinde idem Sixtus anno nono ſui Apoſtolatus abſoluit Oratores Florentinos nomine Vexilliferi & Dominij Florentini eo quòd Archiepiſcopum Piſanum ſuſpenderant laqueo in platea, & quia etiam Cardinalem ſancti Georgij captiuauerant: Ideo Papa eoſdem Oratores ante Baſilicam prædictam, non nudos, ſed veſtitos cum virgis verberauit, aſſiſtentibus ſimiliter duodecim Cardinalibus Presbyteris cum virgis verberantibus, & alijs omnibus Cardinalibus in circulo ſtantibus.

Deinde Innocentius Sixti ſucceſſor abſoluit Vexilliferum Iuſtitiæ & vnum de Antianis populi ciuitatis Bononienſis eo quòd vnum Presbyterum, & vnum Fratrem S. Franciſci in platea de facto ſuſpenderant, & hos non ipſe Pontifex percuſſit per ſeipſum, ne illos tantum honoraret vt ſubditos, ſed circumſtantibus omnibus Cardinalibus in die Paſchæ Reſurrectionis fecit per Pœnitentiarios omnes cum virgis acriter percuti, & quidem totaliter nudos etiam ſine caligis, ſed ſolis campeſtribus ſiue brachis pudebunda tegentibus, & diu quidem percuti fecit, donec tres ex ſeptem Pſalmi Pœnitentialibus dicerentur.

Nouiſſime vero Alexander nonnullos ciues Aſculanos abſoluit, ex eo quòd rebellos fuerant contra Sedem Apoſtolicam, & quia etiam vi & proditione occupauerant Arcem Euſida, & hos nudos non ante ianuam Baſilicæ, ſed ante ianuam & in Aula ante Cappellam maiorem Palatij fecit à Pœnitentiarijs omnibus cum virgis percuti.

Itaque his intellectis, & viſa veritate huiuſmodi, ac etiam intellecto à me, quòd

non de neceſſitate Abſolutionis huiuſmodi verberatio, ſed de ſolemnitate fieri ſolet, mandauit mihi, vt formam & modum Cæremonialem, quo vti in Venetorum Abſolutione poſſet componerem & ſcriberem, & ſic in ſcriptis ei oſtenderem, quia ibidem ſua Sanctitas aut addi, aut minui, pro voluntate ſua iuberet: Ac etiã intellecto quòd ſub Porticu, & in ſecunda Dominica Quadrageſimæ, quæ eſt vigeſimaquarta Februarij, vt ſupra ſcripſi, in hunc modum videlicet.

Præparetur ante valuas, & in clauſtro ſiue ſub Porticu baſilicæ Principis Apoſtolorum pro actu ipſo Abſolutionis agendo, ac habeatur ſuggeſtus trium graduum ſolitus Papalis, & inter duas portas Baſilicæ, ideſt, apud æneam quæ media eſt, ponatur, & tapetibus ornetur tam ſuggeſtus, quàm paries pannis ſericeis magnis. Fores omnes Baſilicæ ſint clauſæ, donec erunt ipſæ aperiendæ. Informetur Procurator Fiſcalis, qualiter ipſe debet petere ab Oratoribus an habeant mandatum, & illud præſentent: An velint iurare de parendis mandatis Papæ, & Eccleſiæ ac Sedis Apoſtolicæ: Et quod ipſe debet requirere omnes Notarios, vt Inſtrumentum, & Inſtrumenta conficiant. Informetur Notarius tamen vnus, vel duo, aut omnes, vt ſtipulentur, & teſtes rogent. Informetur Cardinalis Pœnitentiarius, vt ſimul cum Pœnitentiarijs adſit in tempore cum virgis, ſi opus erit, & quòd introducant Oratores in gremium Eccleſiæ. Habeatur liber Pontificalis, vt Papa poſſit ex eo legere Pſal. Miſerere mei Deus. *Habeantur omnia Capitula ſcripta in bona forma, quæ legi debebunt. Informetur Papa de pœnitentia, vt cogitet & deliberet, quæ ei videatur imponenda. Et an placeat Sanctitati ſuæ, quòd finito officio, omnis eius Palatina familia, ſimul cum Prælatis ſuis Palatij aſſocient Oratores ipſos vſque ad habitationem eorum. Habeatur alius liber Miſſalis cum imagine Crucifixi pro iuramento Oratorum. Habeatur in quinterno forma Abſolutionis in bona littera, quàm Papa leget. Habeantur virgæ in totum tredecim, ex quibus vna pulchrior pro Papa cum manutergio in extremitate. Nulla ſint pro Cardinalibus ſedilia, ſed omnes circumſtent. Omnes Officiales Cameræ adſint, & omnes Pœnitentiarij. Cardinales ſint cum cappis violaceis, & ſimiliter omnes Prælati ſolito more. Et hi omnes Officiales ſint ad ſiniſtram Papæ, ſed Prælati alij ad dexteram: Et ante Papam prouiſionati & cuſtodes Palatij patefaciant locum, vt Papa commode, & Cardinales ibi eſſe poſſint. Oratores præueniant ad Palatium, & in aliqua Camera expectent deſcenſum Papæ ad Porticum. Pro Miſſa cantanda præparetur in ipſa Baſilica Capella Sixtina tam pro Papa, quàm pro omnibus ſolitis, & R. P. D. Franciſcus Argentinus Venetus Epiſcopus Concordienſis Datarius Miſſam cantet de Dominica more ſolito.*

Omnibus paratis & ordinatis Papa exit, & paratus vt in Dominica Quadrageſimæ conuenit, defertur in ſede ſua geſtatoria vſque ad Porticum, quem Oratores præueniunt ad ſuggeſtum locum. Papa in eadem ſede geſtatoria poſita ſuper ſuggeſto ſedet, Cardinales circumſtant. Super ſolio ſint ſoli hi, videlicet, Magiſter Cæremoniarum, & Secretarius, ad ſiniſtram in angulo ſuggeſti Procurator Fiſcalis, & Aduocatus, & Notarius Cameræ. Stantibus omnibus indicatur ſilentium. Oratores ex gratia petunt oſculum pedum, & Papa ex gratia concedit, & redeunt ad locum ſuum, ideſt, in ſupremo gradu ſuggeſti omnes genuflexi: ex quibus primus, aut quiuis ex eis vnus dicit alte quidquid placet, veniam petendo, ac miſericordiam & abſolutionem, attento quòd parati ſunt ſatisfacere & iurare. Procurator Fiſca-

lis

lis petit an habeant mandatum ſufficiens, quod oſtendant. Oratores ipſum mandatum exhibeant iam prouiſum, & ſufficiens. Papa mandat legi per ſuum Secretariũ capitula ac pacta inita. Quibus lectis Procurator iterum petit, an velint illa iurare, & etiam iurare de parendo mandatis Papæ & Eccleſiæ. Et Oratores offerunt ſe paratos. Interim liber Miſſalis per Magiſtrum Cæremoniarum aperitur, & in genua Papæ ponitur, quem Diaconi Cardinales aſſiſtentes hinc inde ſuſtinent, Pontifice manum apponente: Et Oratores aſcendunt, & ſinguli ambabus manibus tactis ſcripturis & imagine iurant, promittunt, & obligant: De quibus Procurator Fiſcalis requirit Notarium, vt ſtipuletur, & Inſtrumentum agat. His factis Pontifex loquitur aduerſus Oratores quidquid placet, & ſic concludit quòd paratus eſt illos abſoluere. Et ſic datis virgis tam Papæ, quàm Cardinalibus duodecim vt ſupra, Pontifex incipit Pſal. Miſerere mei Deus. *quem cum Cardinalibus alternatim reſpondentibus, vſque ad finem proſequitur, & pro vnoquoque verſu ſemel Oratores leuiter ſuper ſpatulis percutiuntur. Dicto Pſalmo Papa depoſita mitra ſurgit, & legit Verſiculos & Orationes, vt in forma Abſolutionis, quæ infra ponetur. Finitis Orationibus Papa ſedet cum mitra, & extendens manum ſuper Oratores legit ex libro.* Miſereatur veſtri, & Indulgentiam, abſolutionem *&c. Deinde,* Auctoritate Dei omnipotentis *&c. Poſtea imponit pœnitentiam ſalutarem quæ ei placet, deinde mandat Pœnitentiario Cardinali, vt ſimul cum alijs Cardinalibus, vel Pœnitentiarijs introducant Oratores omnes ad oſculum pedis, manus & oris, ſicut in Conſiſtorio publico venientes ad præſtandam obedientiam, & ei Oratores gratias agunt.*

Et iſta eſt forma, quam ego dedi ſcriptam Pontifici, qui ex illa nihil caſſari iuſſit, niſi quòd non voluit cum virgis percutere: & omnes Prælatos, & familiam ſuam Palatinam aſſociare Oratores ad ædes eorum voluit.

Forma Abſolutionis Venetorum.

O*Fficium autem Abſolutionis factum & lectum eſt hoc modo, videlicet. Pontifex ſedens cum mitra legit Pſalmum* Miſerere mei Deus, *cum Cardinalibus, & non verberauit: deinde depoſita mitra ſtans legit,* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas. Sed libera. ℣. Saluos fac ſeruos tuos, & ancillas tuas. ℟. Domine Deus ſperantes in te. ℣. Nihil proficiat inimicus in eis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. ℣. Eſto eis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Oratio.

DEus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere: ſupplicationes noſtras ſuſcipe; & hos famulos tuos vice & nomine Ducis, Rogatorum, & Conſiliariorum, Senatusq. & Populi, ac omnium aliorum vtriuſque ſexus de Ciuitate & Dominio Venetiarum, eorumq. locorum interdicto ſubiectorum, quos, & quæ excommunicationis & anathematis, ac interdicti catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſoluat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Oremus.

PRæſta quæſumus Domine eiſdem famulis tuis, vice & nomine Ducis, Rogatorum, & Conſiliariorum, Senatusq. & Populi ac aliorum omniũ

vtriuſ-

vtriuſque ſexus de Ciuitate & Dominio Venetiarum, dignum pœnitentiæ fructum: Eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cuius integritate deuiauerant peccando, peccatorum veniam conſequendo, reddantur innoxij. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

His lectis Papa ſedit, & accepta mitra legit extendens manum apertam ſuper Oratores, dicens;

Miſereatur veſtri & illorum omnipotens Deus, & dimiſſis omnibus peccatis veſtris & illorum, perducat vos & illos ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, Abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum & illorum tribuat vobis & illis omnipotens & miſericors Dominus. Amen.

Auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, & noſtra, abſoluimus vos vice ac nomine Ducis, ac Rogatorum, & Conſiliariorum, Senatusq; & Populi, & aliorum omniũ vtriuſque ſexus de Ciuitate & Dominio Venetiarum, à vinculo excommunicationis & anathematis, & omnium cenſurarum in vos & illos quomodocumque & qualitercumque & quibuſcumque de cauſis illatarum, & Interdictum relaxamus, & reſtituimus vos & illos omnes eadem auctoritate ſanctis Sacramentis Eccleſiæ. In nomine ✠ Patris, & ✠ Filij, & Spiritus ✠ ſancti. Amen.

Deinde Papa impoſuit pœnitentiam, vt ipſi Oratores irent ad ſeptem Eccleſias, vbi orationes & eleemoſynas facerent nominibus quibus ſupra, ad arbitrium eorum: ſuper qua re grauabat eorum conſcientias. Et ſic omnia vt ſupra facta fuerunt.

Miſſa eiuſdem Diei.

In Cappella Sixti intra Baſilicam R. P. D. Epiſcopus Concordienſis Datarius cantauit Miſſam, ad quam Papa feſſus venire non voluit: & quia etiam erat hora tarda, propterea non voluit quòd haberetur ſermo in illa die intra Miſſam. Sed voluit quòd finita Miſſa omnes familiares eius aſſociarent, prout aſſociarunt cum magno honore Oratores, quorum nomina hæc ſunt, videlicet.

D. Dominicus Triuiſanus Eques, Procurator ſancti Marci.

D. Leonardus Mocenigo.

D. Aloyſius Maripetro.

D. Paulus Cappellus Eques.

D. Hieronymus Donatus Doctor.

Et iſti veſtiti fuerunt omnes vno modo, videlicet, de ſcarlatto rubeo cum cornetto, ſiue ſtola ex velluto cremeſino ad collum, quem habitum dixerunt eſſe eorum ferialem.